QVAESTIONES, MAXIME NECESSARIA TRIVM LIBRORum Ciceronis de Officijs præcepta complectentes: quibus adolescentulorum & intelligentiæ & memoriæ consulitur: ita confectæ, ut magna ex parte uerbis ipsius Ciceronis explicentur.


[illegible] INGE[illegible]S autore.




Accessit eiusdem autoris carmen de uictoria Turcica.



E[illegible] OFFI[illegible]INA [illegible]HER[illegible]giana, per Eusebium Episcopium Anno M.D.LXXIX.







ADOLESCENTI
ET GENERE ET INGENIO
nobili Christophoro, Cl. Narcissi f.
Clarissimorum I c. Cl. Pij Nep. Con-
radi Pron. Peutingero: au-
ditori suo:

HIERONYMVS VVOLFIVS
S. P. D.



T ingenio tuo præstanti, & incitato optimas quasque literas discẽdi studio, Christophore Peutingere, semper delectatus sum: cumque alios complures & ætate & statura te grandiores, atque diutius in studijs uersatos, tum styli elegantia, tum iudicij grauitate quadam abs te superari uiderem: non, ut Homericus Agamemnon, δέκα μοὶ τοίους συμφράδμονας, ἀλλὰ μυρίους τοιούτους μαθητὰς dari, optaui. Quod si fieret:



non dubitarem:quin & fidelis mea institutio à multis, qui nunc eam parui æſtimant, agnoſceretur: & barbaries tam linguæ,quàm morum profligaretur. Nunc,quam ego laudem poſſum conſequi ex ijs, qui (ne quid grauius dicã) ſtiuæ quàm ſcholæ eſſent aptiores? aut quæ literariæ reipublicæ poſt me ſeminaria relinquere: cum (ſi qui fortè induſtrij ſunt) ij non legitimos liberalis inſtitutionis fructus, quos ſæpe ex me audis, eſſe piam eruditionẽ, & ſapientem eloquentiàm) ſibi proponunt:ſed id agũt, ut quaſi carcere gymnaſij noſtri perrupto,in Academijs fucoſis ornati titulis,quamprimum è natiuis ſordibus emergant, & linguæ impudentis uolubilitate freti, uulgiq́ʒ applauſu euecti, tanquam Epicuri de grege porci ſaginentur. Hæc multorum ignauia atq́ʒ peruerſitas, non raro fa-

cit,

cit,ut me propè mei pœniteat:utq; for tunam meam miſerer, quòd eruditio mea quantulacunq;, magno certè ſtudio, & indefeſſo labore,perq; multas & propè incredibiles ærumnas,ab ineunte ætate conquiſita, tam anguſtis concluſa terminis,in obſcuro iaceat:& pleriſq; ſordens,non eas quas ſperaueram,& priuatim & publicè gignat utilitates. Conſolor tamen ipſe me, & facti officij conſcientia:& diuina uoluntate: à qua in hac ſtatione, qualis ea cunq; ſit,me collocatum eſſe noui,nec deſerendam eam putaui: quamuis nõ ſemel à maximis uiris ultrò fuerim ad maiora inuitatus:ut fateri cogar, libenterq; præ me feram, non mihi fortunam, ſed me fortunæ defuiſſe. Moleſtias meas & illud minuit, quòd ut nõ multi, aliqui tamen è palæſtra noſtra prodeunt,quorum & uitæ integritas,

& ingenij dexteritas, & dicendi agendíq; facultas, à bonis & candidè iudicantibus probetur. In quo numero cũ te uel principem fore (modò ita pergas, ut cæpisti, nec fatalis aliqua calamitas spem nostram præcidat) consentaneum sit: meum de tua præstanti indole iudicium publicè extare uolui. Huc accedit, quòd & aui tui, CL. Pij, I.C. excellentis, singularem erga me, quoad uixit beneuolentiam expertus sum: & eo, morte immatura nobis erepto, tam pater tuus, olim Luteciæ cõtubernalis meus, quàm patruus Conradus Pius, aui clarissimi & in omni disciplinarũ genere uersati, & nomen & genium & studium referens, (quem non uidisse me, non paruũ infortunium puto) & amantissimè complecti me & beneficijs ornare nunquã destiterũt. Quid dicam de magno pa-

truo

truo tuo, tibi cognomine, Christo-phoro: duũuiro ciuitatis huius: quo (ut & Hainrico Rechlingero collega eius) amisso, Respublica Augustana nõ exiguam iacturã fecit. Illustris certè Bauariæ dux Albertus, ingenioru͂ solers explorator & æstimator: id ingenij acumen, eam prudentiã, eum usum rerum, eam morum integritatem in ijs deprehendit, ut dixisse feratur, Augustam duos hos habere uiros, qui non modò urbem maximam, sed uel amplissimum regnum gubernare possẽt. Is igitur quàm se humanum, posteaquam è D. Conrado potiss. meam simplicitatem & innocẽtiam, nescio quorum suspicionibus & calumnijs labe quadã aspersam, cognouit, benignu͂q; erga me præbuerit: ipse in cõmunib. cõuiuijs uidere potuisti. Itaq; & spe excellẽtis tuæ doctrinæ & ꝓbitatis singula-

 ris,

ris, & Peutingeranæ clariſſ. familiæ tot meritis conſideratis: grati animi officium à me poſtulare uiſum eſt, ut amorem tui meum hoc literario munuſculo teſtarer: non quò te erudirem (cum ipſius autoris opus hoc integrum, ſingulari cura patris, qui nullis ſumptibus pepercit, ut à teneris unguiculis diligentiſsimè inſtituereris, iam pridem memoriæ mandaris) ſed ut opuſculum hoc mei quoddam μνημόσυνον tibi eſſet, utq́ eo legendo, aut ſaltem inſpiciendo, monitorum meorum perpetuò recordarere: quibus te obtemperaſſe, profectò nunquam pœnitebit. Quòd ſi hæ quæſtiunculæ tardiuſculis, tuiq́ diſsimilibus, adiumenti aliquid attulerint: ij tibi, cuius nomine eduntur, non minus quàm meæ opellæ debebunt. Quam ſi tu æqui boniq́ feceris (ut generoſo tuo animo

dignum

dignum est) abundè mihi relatam abs te gratiam existimabo. Vale, καὶ ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγένων εὖ εἴπῃ: Αἰὲν ἀριστεύων καὶ ὑπείροχος: ἐκ τετραγονίας καὶ ἀνωτέρω, νομοφύλαξ τε θέμιδος ἱερεὺς γενησόμενος. Augustæ Vindelicorum. XI Cal. Martij, Anno restitutæ salutis M. D. LXXIX. ætatis meæ LXIII. quem Ἀνδροδάμαντα uocant Astrologi: quo & Cicero & Demosthenes & Aristoteles, alijq; permulti clari uiri decessisse perhibentur: ut, si is me quoq; sustulerit: rectè illud Achillis Homerici dici in me possit: Κάτθανε καὶ Πάτροκλος ὅπις σέο πολλῷ ἀμείνων. Iterum atq; iterum uale: & quia propediem in Academiam, tanquam ad mercaturam bonarum artium (cur enim Ciceronis tui uerbis te non compellem?) es profecturus: te, aut corruptum malis exemplis, deteriorem, aut inanem redire, turpissimũ

ſuerit, dedecorantem & maiorum autoritatem & magiſtrorũ. Quare quantum animo conniti potes: quantum labore contendere: (ſi diſcendi labor eſt potius, quàm uoluptas) tantum fac efficias: néue committas, ut, cum omnia ſuppeditata ſint à parentibus: tute tibi defuiſſe uideare.

AD MANES VIRI NOBILISSIMI D. CONRADI PEVTINGERI, I C. philoſophi & polyhiſtoris excellentis: qui & Cæſari Maximiliano I. à conſilijs, & omnibus uiris doctis amicus & charus fuit.



V R mea non hoc fata tulere, uir inclyte, uiuum
Vt te cõſpicerẽ? (quo nil optatius eſſet)
Vtq́ tuis fruerer iuuenis ſermonibus? olim
Quos meminiſſe meo ſtudio ſtudioſa iuuentus
Poſſet: & herois tanti cognoſcere ſenſus.
Hoc mihi fata negauerunt: ſed noſcere claram
Progeniem licuit. Pius & qui nomina Chriſti
Geſſit: uterq́ potens ſolertis acumine mentis:
Me non exiguo, cum cognouere, fauore
Complexi, tenuem nõ contempſere Camænam;
Et docuere alios etiam, quis Vuolfius eſſet.
Aſt hos & Carolum fratrem cita fata tulerũt.
Sed gens multa tuo de ſanguine creta nepotum
Te memorat, ſtirpemq́ propagat prole ſecunda.
Conradus te mente refert: ſtudiumq́ ſecutus
Promptus idem, merito celebratur Iuris honore.
Narciſſus uerò (ſic aſtra dedere) dicatus

Mercu-

Mercurio, multos peregrina merce beauit.
Res ea parua tamen: pronepos qa natus ab illo,
Christophorus, pollet teneris industrius annis,
Iudiciôq; styloq; simul, quem cernere coràm
Egregia forma, tua si fortuna tulisset:
Sensisses quantos gratanti pectore motus?
Sed tua laus per se manet: inuiolata manebit,
Dum uirtutis honos manet & prudentia Iuris.
Te canit Alciatus) me frigida deprimit ætas.
Prõpta quidẽ mẽs est: sed pigra senecta retardat
Fortè breui tamen illustri simul ætheris aula
Conueniemus, & æterno iungemur amore.

Vuelseriæ uxori D. Peutingeri,
κατὰ προσωποποιΐαν.

Vuelseria prognata domo, uirtute celebri,
Ingenioq; uiro nupta probata fui.
Egregiam sobolem peperi, uidiq; nepotes:
Quos natura suis muneribus cumulat.
Nec non clementis fouet indulgentia sortis:
Nomine quo dici iure beata queo.
Sed mihi plus affert laudum cõstantia mentis:
Omnia prudenti qua grauitate tuli.
His octoginta rebus dum perfruor annis:
Numine fatali me quoq; Parca uocat.

Prom.

Prōpta ſequor. Quis enim terreſtria cōmoda cu
Si repetat ſummi tēpla beata patris? (ret,
Huic nos conciliat Pietas ſeruata per æuum.
Quàm iuuat hūc animis, moribus, ore ſequi!

Anno 1552 VIIBRI.

D. Claudio Pio Peutingero IC. eximio.

Quæ ſtatuāt monimēta tibi, uir ſumme, nepo-
Par ſit ut ingenio, qui tribuetur honos? (tes?
Non equidem uideo. Nam corporis apta ſigilla
Conficiunt, quibus eſt ingenioſa manus.
Sed non ulla queat tacitas effingere mentes:
Dædalea quamuis polleat arte manus.
Reſtat ut eloquio celebreris. At unde petemus
Claudia uox poſtquam morte repreſſa tacet?
Morte repreſſa tacet uox Claudia, flumina fun-
Flumina diuini pectoris orta iugis. (dēs,
Ah miſerā ſortem. Quid ſunt mortalia? uernæ
More roſæ pereunt, quæ peritura neges.
Siccine Mors inimica rapis florente iuuenta
Qualem uix habuit Theutonis ora uirum?
Qui patriæ potuit, qui ciuibus ore diſerto
Rebus in ambiguis ferre paratus opem:
Conradi de more patris: qui grandior æuo
Dimidio, ſenſit mollia fata ſenex.

Cur

Cur tot monstra sinis miseras cõsumere fruges?
Quæ gerit inuito terra coacta sinu.
Qui sceleris genus omne patrãt:q̃ cõmoda pacis
Perturbant. Cur hi, Mors odiosa, manent?
Scilicet hinc nullos potis es sperare triumphos:
Omnia lætitiæ plena futura uides.
At quoties p̃mis, quos Mẽs, quos inclyta Virtus
Condecorat: cernis parta trophæa tibi.
Quippe gemũt omnes: sortẽ miserãtur acerbã:
Ora rigant lachrymæ, pectora palma ferit.
Hæc igitur tua, Mors, sunt gaudia, ferre dolores
Humano generi? Sic dare damna paras?
Nil agis, ô demens. Nam postq̃ Peutiger heros
Deseruit terras, iam super astra uolat.
Nectare et Ambrosia fruitur: iam Fama supstes
Concelebrat laudes tempus in omne, uiri.
Ergo nunc duplicis sortitur munera uitæ:
Mens uiget alma polo: Fama perennis humi.

Anno 1552 Decembris 10.

D. Christophoro Peutingero, Augustanæ Reipublicæ duumuiro.

Præditus ingenio præstanti, præditus usu:
Corde magistratus dum sapiente gerit:
Quamlibet inuitus, summos cõscendit honores:
Tutor,

Tutor, id est, patriæ factus & inde pater.
Lustra ubi cõpleuit bis septem, tetrade dempta,
A sacris rediens, in domino moritur.

D. Hainrico Rechlingero, senatori Cæsareo, Augustanæ Reipublicæ duumuiro.

Te quoq, Rechlingere, meæ celebrare Camænæ
Debebant grati pectoris officio.
Sed tua te uirtus, facundia, dexteritasq;
Laude uehunt: celebris Fama perennè manet.
Et tu complêsti bis septem, tetrade dempta,
Lustra, uigens animo, corpore fessus obis.
Fontis Acidalij flerunt tua funera Nymphæ:
Quisquis amat patriam, te superesse uelit.
Nõ tamẽ hanc orbam linquis, florente Quirino
Gentiliq; tuo: qui tua iura tenent.
Ille senatoris munus colit atq; scholarchæ:
Fuggero hic socio, sceptra benigna gerit.


Quirinus F. Rechlingeri. Christophorus Anton. Rechlinger⁹. Marc⁹ Fugger⁹, Kirchpergæ & Vueissehorni Comes duumuiri Augustani.

1

HIERONYMI VVOLFII OETINGENSIS QVAEstiones in M. T. Ciceronis.

Lib. I.

Quis fuit M. T. C?



VNICEPS Arpinas, ciuis Romanus, ex equestri ordine: qui per omnes honorũ gradus, ad consulatũ ascendit: quo nulla fuit eo tempore superior dignitas: summus orator, summus philosophus, homo ditissimus, uir clarissimus: Romanæ facundiæ parens, & pater patriæ appellatus.

Quo tempore scripti sunt à Cicerone tres libri de officijs?

Annis ante Christum natũ circiter quadragintá. Tum enim à M. Antonio proscriptus & interfectus esse fertur.

Quæ præcipua causa fuit edendi libros illos?

Vt lectores ad uirtutem & uitæ honestatem institueret: quam qui studiosè colunt pacatis temporibus & in bene constitutis ciuitatibus beatius plerunq; uiuunt cæteris.

Officium unde dicitur?

Ab efficiendis & agendis ijs, quæ hominem decent.

Quæ sunt illa?

Rectè sentire, prudenter dicere, iustè, fortiter, temperanter uiuere.

Quotuplex est officium?

Methodi ratione duplex est: θεωρητικὸν, quod disputationibus constat: & πρακτικὸν, positum in præceptis, quibus in omnes partes usus uitæ conformari posit. τὸ πρακτικὸν & ipsum duplex est. κατόρθωμα, rectũ siue perfectum: quod omnes uirtutis numeros continet, nec nisi in sapientem cadit: qui quidem is fingitur à Stoicis, qui neq; fuit, neque erit unquam. Et καθῆκον μέσον, officium medium siue cõmune, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi potest.

Ratio illa unde petitur?

E' quatuor fontibus officiorum, Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia: quæ Cardinales uulgò; id est, principes uirtutes appellantur: à D. Basilio γενικαὶ, generales.

Statim'ne Cicero ad rem accedit?

Non. Sed utitur inprimis proœmio illu-

stri: ut in omnibus philosophicis & oratorijs libris solet.

Quæ sunt eius procemij præcipuæ partes?

Tres maximè: una, qua filium, suo exemplo proposito, hortatur, ad sapientiam cum eloquentia: & Latinas literas cum Græcis coniungendas. Altera, Cõmendationem huius doctrinæ continet: quæ adeò latè pateat, ut nulla uitæ pars, neq; publicis neq; priuatis, neq; forensibus neq; domesticis in rebus: neq; si tecum agas quid, neq; si cum altero contrahas: uacare officio possit: in eoq; & colendo, sita uitæ sit honestas omnis, & in negligendo turpitudo. Tertia & postrema, de sectis philosophorum agit: à quibus officij præcepta petenda sint. εὐνοϊκὸν. προσεκτικὸν. εὐμαθὲς.

Quas philosophorum sectas dicis?

Eas potissimùm, quæ de finibus bonorum dissentiunt, & sunt quatuor præcipuæ.

I. Cyrenaicorum & Epicureorum: qui uoluptatem summum esse bonũ, dolorem summum malum iudicant.

II. Pyrrhoniorum & nouæ Academiæ: qui uagantur opinionibus: neq; quicquam explo

rati se habere dicunt. Has duas Cicero repudiat, ut & Herylli scientiam, & Aristonis ἀδιαφορίαν.

Quæ reliquæ duæ sunt?

Vna, Peripateticorum & ueterum Academicorum: qui tribus bonorum generibus, animi, corporis, & fortunæ, uitam beatam constare affirmant.

Altera, Stoicorum: qui summum bonum in una uirtute collocant. Hos in hoc opere Cicero maximè sequitur.

Cur non potius ueritatem quàm autoritatem spectat?

Facit hoc ille quidem: sed certo cõsilio Stoicorum seueritatem Peripateticorum æquitati anteponit.

Cum ab efficiendo dicatur officium: cur de capiendi consilij deliberatione inprimis agit?

Vt doceat, non animi cæco impetu rapi, sed certa ratione ad dicendum & agendum progredi nos oportere.

Quotuplex est deliberatio?

In quinq; ferè partes distributa est. Nec enim solùm, utrum honestum an turpe sit, deliberari solet: sed etiam, duobus propositis honestis,

nestis, utrum honestius? itemq́; duobus propositis utilibus, utrũ utilius? & pluribus, quid honestissimum quid utilissimum?

Deliberationes istæ quo fundamento nituntur?

Naturæ humanæ: quæ uel statuæ, ex quatuor metallis: uel fonti, in quatuor flumina dispertito, comparari solet. Ea porrò nonnulla cum stirpibus, ut alimoniam & incrementa & decrementa: nonnulla cum bestijs habet cõmunia, ut studium salutis & propagationis: quædã sua, ut rationis et orationis usum: unde existunt semina prudentiæ, iusticiæ, fortitudinis, temperantiæ, diligenti doctrina et exercitatione frequenti excolenda, et norma Theologiæ dirigenda, & moderanda: atq; etiam illius copijs augenda.

Quis igitur est primus officij fons?

Prudentia seu sapientia, quas Cicero coniungit hîc, alibi separat, ut & Aristoteles.

Qua ratione fontes officiorum appellas?

Naturæ Deus autor est. Natura porrò humana fons est honesti: qui fons, instar illius paradisiaci, in quatuor magna uirtutum flu-

mina diffunditur: quorũ singula riuulos honestarum actionum siue officiorum gignunt innumerabiles. Vnde existũt homines sapientes, boni, laudabiles, fortunati. Comparãtur eadem uirtutes & Lysippeæ statuæ.

Quo pacto?

Natura est artifex (puta Lysippus aut Polycletus) conflans unam statuam, insignẽ illam quidem, sed ἀκέφαλον, Honestatem, è quatuor metallis, auro prudentiæ, argẽto iustitiæ, ferro fortitudinis, ære, tẽperantiæ symbolo: sic ut hæc metalla confusa quidem sint inter sese ac permista: sed tamen aliud alia in parte corporis magis emineat.

Cur ἀκέφαλον dicis?

Caput omnium uirtutum est Religio, è pyropo factum: cuius radij in cœlũ tendunt. Sed Cicero semina pietatis prætermisit, terrenæ potius quàm cœlestis uitæ, habita ratione. Nam de natura Deorum peculiare uolumen iam ediderat, & locum hunc cùm alibi passim, tum in libris de legibus & republica, pro suo captu copiose tractauerat.

Quid ergò est prudentia, quam Græci φρόνησιν dicunt?

Rerum expetendarũ fugiendarumq; scientia

tia (1. de off.) cuius partes sunt, Memoria. Intelligentia, Prouidentia, (1. de Inuentione.)

Quid est Sapientia, Σοφία Græce?

Rerum diuinarum & humanarum, causarumq́; quibus hæ continentur, scientia: cuius studium philosophia dicitur. (2. de off.)

Quot in hoc genere uitia uitanda sunt?

Tria potissimùm: Vnum, ne incognita pro cognitis habeamus, hisq́; temerè assentiamur: quod cauebimus, si adhibeamus ad considerandas res & tempus & diligentiam. Alterum, ne nimis magnũ studium, multamq́; operam in res obscuras atq; difficiles conferamus, easdemq́; non necessarias. Tertium, ne studio earum artium, quæ in ueri inuestigatione uersantur, à rebus gerẽdis abducamur.

Quod est officium prudentiæ?

In rebus honestis & cognitione dignis multum operæ curæq́; ponere: ut sunt, Astrologia, Geometria, Dialectica, Ius ciuile, omnes deniq; liberales artes, & tota Philosophia, cum Theologia & medicina.

Dic alterum præceptum.

Cum ab actione (in qua uirtutis laus omnis consistit) intermissio fit: est ad studia re-

deundum: cum agitatio mentis nunquã acquiescat. Eruditorum autem Ecclesiasticorũ & Scholasticorum hominum unica ferè, aut certè præcipua occupatio & actio est, legere, meditari, discere, scribere, docere, diuino cultui uacare.

Dic tertium.

Omnis cogitatio motusq; animi, aut in cõsilijs capiendis, de rebus honestis & pertinentibus ad benè beateq; uiuendum, aut in studijs scientiæ cognitionisq; uersabitur.

Quis est alter officij fons?

Ea ratio (quæ quidẽ latißimè patet) qua societas hominum inter ipsos & uitæ quasi cõmunitas cõtinetur. Græcè τὸ κοινωνικὸν, ἡ κοινωνία ἢ κοινωφέλεια.

Partes eius quot sunt?

Duæ, iustitia, in qua uirtutis splendor est maximus: ex qua boni uiri nominantur: & huic coniuncta Beneficentia, quam eandem uel Benignitatem, uel Liberalitatem appellare licet.

Quid est iusticia?

Habitus animi, communi utilitate conseruata, suam cuiq; tribuẽs dignitatem: τὸ κατ' ἀξίαν ἑκάστῳ ἀπονέμουσα. *Eius initium est à*

natura

natura profectũ. 2. de Inuent. Vel, Est obtemperatio scriptis legibus institutisq́; populorũ. 1. de Legib.

Quæ sunt iusticiæ munera?

Primum, Vt ne cui quis noceat, nisi lacessitus iniuria. Deinde, ut communibus utatur pro communibus: priuatis, ut suis.

Sunt ne priuata, natura, φύσει;

Non: Sed aut ueteri occupatione, aut uictoria, aut lege, pactione, conditione, sorte.

Quotuplex est priuatum?

Duplex: Vnum, totius Reip. ut, ager Arpinatium. Alterum, singulorum ciuium: ut, uilla M. Tullij Ciceronis.

Recita præcepta de priuatis possessionibus?

Primum, Quia suum cuiusque fit unumquodq; eorum quæ natura fuerant communia: quod cuiq; obtigit, id quisq; teneat: eo si quis plus appetet, uiolabit ius humanæ societatis.

Ἀξίωμα Platonicum & Stoicum.

Non nobis solùm nati sumus: & quæ in terris gignuntur, ad usum hominum creantur: homines autem hominum causa sunt generati: ut ipsi inter se prodesse poßint. Alterum,

Naturam ducem debemus sequi, & commu nes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus deuincire homi num societatem. Tertium, Fides, id est, dictorum conuentorumq́ constantia & ueritas, fundamentum est iusticiæ, quia fiat quod dictum est, appellata.

Quotuplex est iusticia?

Aristoteli duplex est, ἡ καθόλου, *de qua uersus extat;*

ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι:

Iusticia in sese uirtutem continet omnem:

& ἡ ἐπὶ μέρους: *quæ diuiditur* εἰς συναλλακτικὴν κατ' ἀναλογίαν ἢ ἰσότητα ἀριθμητικήν: καὶ διανεμητικὴν τοῦ κατ' ἀξίαν, κατ' ἀναλογίαν ἢ ἰσότητα γεωμετρικήν.

Quæ est Ciceroniana diuisio?

Ea, ut ex contentione Iniusticiæ colligitur, triplex est: quarum una, dici potest Innocentia: altera, æquitas, ueritas (φιλαλήθεια) *seu fides: tertia, Beneficentia siue humanitas* (φιλανθρωπία) *cùm adiuuando tum defen dendo sociam & comitem asciscens fortitudi nem, atq́ adeò copias aliquas. Et hæ quidem ciuilis iusticiæ partes sunt: quibus absolutis et*

de

de bellica iuſticia præcipitur: quæ præcepta magis ſpectare uidentur ad fortitudinem.

Quæ ergò ſunt iniuſticiæ genera?

Cicero (ut modò dixi) tria facit: quæ appellare poſſumus Violētiā, Deſertionē, Calūniā.

[Hi ſunt οἱ κοσμοκράτορες: ὑπόκρισις *in Religione & Eccleſia: Tyrannis in Republica: Sophiſtica in ſcholis: Sycophantica in iudicijs: malicia auaricia, luxuria in uita communi. Quare uigilandū eſt ſemper: cùm tot inſidiæ ſint bonis.]*

Quæ ſunt cauſæ uiolentiæ, id eſt, iniuriarum, quæ nocendi cauſa de induſtria inferuntur?

Perturbatio aliqua, ut ira, metus, cupiditas, auaricia, ambitio (ἡ φιλαρχία ἢ τὸ φιλόπρωτον. *)*

Quæ cauſæ ſunt auariciæ?

Expetuntur diuitiæ cùm ad uſus uitæ neceſſarios: tum ad opes & gratificandi facultatem. Delectant etiam magnifici apparatus, uitaq́ cultus cum elegantia & copia: quibus rebus effectum eſt, ut infinita pecuniæ cupiditas eſſet.

Eſt ne diſcrimen iniuriarum?

Stoici, peccata non euentu rerū, ſed uitijs homi-

hominū metiētes, æqualia esse docent. Leuiora tamē sunt ea, quæ meditata & præparata inferūtur. Totius aūt iniusticiæ nulla capitalior est, quàm eorū, qui tum, cū maximè fallunt, id tamē agūt, ut uiri boni esse uideātur.

[Aristoteles peccatorum causas tres statuit, προαίρεσιν (ubi περὶ τοῦ ἑκουσίου καὶ ἀκουσίου disputat) πάθος καὶ τύχην. Cicero fortuita uidetur omni crimine liberare: quòd, ut uirtus, sic etiam uitium non sit nisi uoluntarium. Negligentia tamen & mala consuetudo nunquam culpa uacant.]

Prætermittendæ defensionis deserendiq; officij quæ solent esse causæ?

Plures. Nam aut inimicitias, aut laborē, aut sumptus suscipere nolunt: aut etiam negligentia, pigritia, inertia: aut suis quibusdā studijs occupationibus ue sic impediuntur, ut eos, quos tueri debeant, desertos esse patiantur. Sunt etiam, qui aut studio rei familiaris tuendæ, aut odio quodam hominum, suum se negocium agere dicant.

Ἀξιώματα.

I. Hoc ipsum ita iustum est, quod rectè fit, si est uoluntarium.

II. Etsi

II. Etsi difficilis est cura rerum alienarum: tamen homo humani nihil à se alienum putare debet.

III. Facilè, quod cuiusq; temporis officium sit, poterimus (nisi nosmetipsos ualde amabimus) iudicare.

IIII. Benè præcipiunt, qui uetant quicquã agere, quod dubites, æquum sit an iniquum.

V. Aequitas lucet ipsa per se: dubitatio cogitationem significat iniuriæ.

Sunt'ne præcepta officiorum perpetua?

Incidunt sæpè tempora, cum neq; reddendum est depositum, ut Furioso gladius, regnũ affectanti pecunia: neque seruanda promissa sunt ea, quæ sunt his, quibus promiseris, inutilia: neq;, si plus tibi noceãt, quàm illi prosint, cui promiseris: nec quæ coactus quis metu, aut deceptus dolo promiserit.

Quæ sunt istius mutationis rationes?

Primùm, est officium quoddam simplex: (καθῆκον ἁπλῶς) ut, curare ualetudinem, tueri rem familiarem: aliud pendet à tempore (καθῆκον κατὰ περίστασιν) ut, Aurum abijcere in mare, ne à nautis interficiaris: amputare

tare digitum, ne totum brachium absumat cancer. Deinde ad fundamenta iusticiæ referri omnia decet: tum, ut ne cui noceatur: tum ut communi utilitati seruiatur. Postremò contra officium est, maius damnum anteponere minori: aut minus bonum præferre maiori.

Quæ in isto genere adhibenda cautio est?

Ne quid temerè & citra exceptionẽ promittas: alioqui leuitatis & perfidiæ crimen uix ac ne uix quidem euitabitur.

Quod est tertium iniusticiæ genus?

Existunt etiã sæpè iniuriæ calumnia quadam, & nimis callida, sed maliciosa iuris interpretatione, cùm scriptum cõtra sententiã urgetur: & ambiguo uerbo in fraudem illicitur is, qui cum res est.

Quis est ulciscendi & puniendi modus?

Haud scio an satis sit, eum, qui lacessierit, iniuriæ suæ pœnitere: ut & ipse neq; tale quid posthac, & cæteri sint ad iniuriam tardiores.

DE

DE BELLICA IVSTICIA.

Quot ſunt genera decertandi?

Duo: unum, per diſceptationem: quod proprium eſt hominis: alterum, per uim: quod eſt belluarum.

Quare bella ſuſcipienda ſunt?

Vt ſine iniuria in pace uiuatur. Itaque paci, quæ nihil habitura ſit inſidiarum, ſemper eſt conſulendum.

Quot ſunt genera bellorum?

Duo potiſsimùm. Nam alijs imperij gloria propoſita eſt: quæ minùs acerbè gerẽda ſunt: alia geruntur, uter ſit? non uter imperet?

Quæ bella iuſta ſunt?

Ea quæ & rebus repetitis geruntur, & denunciata antè ſunt, atq; indicta. Atq; etiam, ſi quid ſinguli, temporibus adducti, hoſti promiſerint: eſt in eo ipſo fides conſeruanda.

Parta uictoria quid agendum?

Conſeruandi ſunt hi, qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt: & ij, qui, armis poſitis, ad imperatorum fidem confugerint, recipiendi.

Seruis,

Seruis, quorum infima est conditio, quomodo utendum?

Ita ut mercenarijs: opera exigenda, iusta præbenda.

Quæ est altera communitatis seu societatis humanæ pars?

Beneficentia ac liberalitas: qua quidẽ nihil est naturæ hominis accommodatius.

Sed quas habet ea cautiones?

Multas. Videndum est enim primùm, ut ea liberalitate utamur, quæ prosit amicis, nemini noceat. Nihil est enim liberale, quod nõ idem iustum.

Quis est alter locus cautionis?

Ne benignitas maior sit quàm facultates: ne iniuriosi simus in proximos: quas copias his & suppeditari æquius est & relinqui, eas ad alienos transferendo.

Quod est tertium propositum?

Vt delectus esset dignitatis: in quo & mores erunt spectandi: & animus erga nos, & communitas ac societas uitæ: & ad nostras utilitates antè collata officia.

Si ista omnia non concurrerint, quid agendum?

Plures causæ maioresq́ʒ ponderis plus habebunt.

bebunt. Nemo tamen negligendus, in quo aliqua significatio uirtutis appareat: præsertim modestiæ, temperantiæ ac iusticiæ.

De beneuolentia quid sentiendum? ἡ ψυχή.

Eam non adolescentulorum more, ardore quodam amoris, sed stabilitate potius & constantia iudicabimus.

De referenda gratia quid? αἱ εὐεργεσίαι.

Ea nullum officium magis esse necessariũ: nec dubiũ, quin maximo cuiq; beneficio plurimum debeatur.

Quæ beneficia sunt maxima iudicanda?

Ea, quæ iudicio, consideratè, constanterq; delata sunt.

In collocando beneficio, & in referenda gratia, quid maximè officij est?

Vt quisq; maximè opis indigeat (si cætera paria sint) ita ei potissimùm opitulari. Non enim ijdem sunt necessitudinum gradus, qui temporum.

Qui sunt gradus societatis hominum? ἡ κοινωνία.

Plurimum tribuendum est officij patriæ

& parentibus: quorum beneficijs maximis obligati sumus. Proximi sunt liberi, totaq; domus, quæ spectat in nos solos. Deinceps principatum tenent benè conuenientes propinqui, & amici: quos morum similitudo bonorum coniugauit, & mutua atq; grata beneficia.

Est'ne satis ista præcepta tenere?

Vt nemo, quamuis artis præcepta perceperit, quicquã laude dignum, sine usu & exercitatione consequi potest: ita consuetudo exercitatioq; capienda est. ut boni ratiocinatores officiorum esse poßimus: & addendo deducendoq; uidere, quæ reliqui summa fiat: ex quo quantum cuiq; debeatur, intelligas.

Quæ est tertia pars Honesti?

Fortitudo siue Magnitudo animi.

Quibus ea uerbis à Cicerone describitur?

Aliàs animum magnum, hũmanasq; res despicientem: aliàs excelsum, magnificum, fortem & constantem, prudentia, consilioq; fidentem: aliàs aliter (ut est copiosus) appellat.

Quid est Fortitudo?

Stoicis autoribus, uirtus propugnans pro æquitate

æquitate: uel, Est uirtus quæ non facit, sed propulsat iniuriam: & res magnas illas quidem, & maximè utiles, sed & uehementer arduas, plenasq́ laborum & periculorũ cùm uitæ, tùm multarum rerum, quæ ad uitam pertinent, gerens: uel, Fortitudo est considerata periculorum susceptio & laborum perpessio. 2. de Inuent.

Quotuplex est Fortitudo?

Duplex, publica, quæ in urbanam & bellicam: & priuata, quæ in philosophicam & œconomicam diuiditur.

Quot sunt partes Fortitudinis?

Eodem secundo libro de Inuentione Cicero quatuor statuit. Prima est, Magnificentia (μεγαλοψυχία, μεγαλοπρέπεια, μεγαλουργία, μεγαλόνοια) *rerum magnarum & excelsarum, cum animi ampla quadã & splendida propositione, agitatio atq; administratio. Altera, Fidentia siue Fiducia* (θάρσος, εὐελπιστία, εὐψυχία) *per quam, magnis & honestis in rebus, multum ipse animus in se fiduciæ, certa cum spe, collocauit. Tertia, Patientia seu Tolerantia* (καρτερία, ἀνεξικακία, ὑπομονὴ) *honestatis aut utilitatis*

causa rerum laboriosarum ac difficilium uoluntaria ac diuturna perpeßio. Quarta & postrema, perseuerantia siue constantia, in ratione benè cõsiderata, stabilis & perpetua permansio. (εὐστάθεια, ἀταραξία.)

Quæ uitia uitanda sunt uiro forti?

Ὑπερβολαὶ *sunt, Audacia, Temeritas, Ambitio, Auaricia, Crudelitas.*

Ἐλλείψεις, *Timiditas, Ignauia, Cupiditas ocij, & si qua sunt id genus alia.*

Recita catalogum Ciceronianum?

1. *Cauendum est, ne in illa elatione & magnitudine animi, pertinacia & nimia cupiditas principatus innascatur.*
2. *Ne ex errore imperitæ multitudinis pendeat: sed honestum in factis positum, non in gloria iudicet: principemq́ue se esse malit, quàm uideri.*
3. *Non est consentaneũ, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate: nec, qui inuictũ se à labore præstiterit, uinci à uoluptate.*
4. *Ad rem gerendã cum accedit, caueat, ne id modò consideret, quàm illa res honesta sit:*

sit: sed etiã ut habeat efficiendi facultatem.

5. Ne offerat se periculis sine causa: quo nihil potest esse stultius.

6. Ne recuset aliquam gloriæ iacturam facere, Republica postulante: ne'ue, quod sentit, etiamsi optimum sit, tamen, inuidiæ metu, non audeat dicere.

7. Ne opes aut potentiam consectetur.

8. Ne criminibus falsis in odium aut inuidiam quenquam uocet.

9. Ne grauiter inimicis irascendum putet: sed iram maximè prohibeat in puniendo.

10. In rebus prosperis, & ad uoluntatem suã fluentibus, superbiam, fastidium, arrogantiamq́ magnoperè fugiat: nec assentatoribus patefaciat aures.


11. Omnis & animaduersio & castigatio cõtumelia uacare debet.

12. Cauendum, ne maior pœna quàm culpa sit: & Ne ijsdem de causis alij plectantur, alij ne appellentur quidem.

13. De euertendis diripiendisq́ urbibus ualde illud considerandum est, ne quid temerè, ne quid crudeliter fiat.

Quæ sunt officia magni animi?

1. Viros fortes & magnanimos, eosdem bo-



nos & simplices, ueritatis amicos, minimeq́; fallaces esse uolumus.

2. *Persuasum sit, nihil hominem, nisi quod honestum decorumq́; sit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere: nulliq́; neq; homini, neq; perturbationi animi, nec fortunæ succumbere.*

3. *Nihil est honestius magnificentiusq́;, quàm pecuniam contemnere, si non habeas: si habeas, ad beneficentiam liberalitatemq́; conferre.*

4. *In omnibus negocijs, priusquam aggrediare, adhibenda est præparatio diligens.*

5. *Magis expetenda est decernendi ratio, quàm decertandi fortitudo.*

6, *In rebus asperis, præsenti animo utendũ est, & consilio: nec à ratione discedendum.*

7. *Præcipienda sunt cogitatione futura: & aliquantò antè constituendum, quid accidere possit in utranq; partem: & quid agendũ sit, cum quid euenerit: nec committendum, ut aliquandò dicendum sit: Non putâram.*

8. *Cùm tempus necessitasq́; postulat, decertandum manu est: & mors seruituti turpitudiniq́; anteponenda.*

9. *Vtilitas ciuium sic tuenda est, ut, quæcunq;*

cunq; agat, ad eam referat: oblitus commodorum ſuorum.

10. Totum corpus Reip. curandum eſt: ne, dum partem aliquã tuetur, reliquas deſerat.

11. Omninò ita iuſticiæ honeſtatiq; adhære ſcet: ut, dum eas conſeruet, quamuis grauiter offendat, mortemq; oppetat potius, quàm illas deſerat.

12. Ita probanda eſt manſuetudo atq; clementia: ut adhibeatur Reipublicæ cauſa ſeueritas: ſine qua adminiſtrari ciuitas non poteſt.

13. Optandum eſt, ut ij, qui præſunt Reip. legum ſimiles ſint: quæ ad puniendũ non iracundia, ſed æquitate ducuntur.

14. Magni uiri eſt, rebus agitatis, punire ſontes, multitudinem cõſeruare: in omni fortuna, recta atq; honeſta retinere.

15. Ii aduerſarij exiſtimandi ſunt, qui arma contrà ferunt: non ij, qui ſuo iudicio tueri Remp. uolunt.

Expoſita & urbanæ & bellicæ fortitudinis ratione: dic iam, quæ ſit philoſophica magnitudo animi?

Excellenti ingenio doctrinæ ſeſe dedere: &

 tran-

tranquillitatem expetenti idem propositum esse quod regibus: ut ne qua re egeas, ne cui pareas, libertate utaris, cuius proprium est, sic uiuere, ut uelis: contentus & tuo & paruo: in uita ociosa, aut inuestiges aut coneris magna quædam, teq́ tuarũ rerum finibus cõtineas.

Quæ est œconomica magnitudo animi?

Reip. administrandæ potestatem alijs laudemq́ concedentem, &, siue in urbe siue in agris uiuentem, delectari re sua familiari.

Quæ ratio huius esse debet?

Primùm bene parta sit, nullo neq́ turpi quæstu neq́ odioso: tum quamplurimis (modò dignis) utilem se præbeat, & amicis impertiendo & Reip. si quandò usus fuerit: neq́ omni ratione exaggeretur: sed augeatur diligentia & parsimonia: nec libidini potius luxuriæq́, quàm liberalitati & beneficentiæ pareat.

Quæ'nam est doctrinæ istius utilitas?

Hæc præscripta seruantem licet magnificè, grauiter, animoseq́ uiuere: atq́ etiam simpliciter, fideliter, uitæq́ hominum amicè.

Quis

Quis est quartus & postremus officij fons?

Modestia, Temperantia, Continentia, Abstinentia: Græcè, Σωφροσύνη, ἐγκράτεια, καρτερία (quæ sæpius tamen Fortitudini tribuitur) μετριοπάθεια, ἀπάθεια secundum Stoicos.

Quibus istam uirtutem Cicero uerbis appellat?

Eam partem honestatis, in qua uerecundia, & quasi quidā ornatus uitæ, temperantia & modestia, omnisq́; sedatio perturbationum animi, & rerū modus cernitur: & quæ Græcè εὐταξία καὶ εὐκαιρία dicitur: estq́; scientia tum earum rerum, quæ agentur aut dicentur loco suo collocandarum: tum opportunitatis idoneorum ad agendum temporum: itemq́; τὸ πρέπον, id est, decorum.

Quid est decorum?

Quicquid est quod deceat: id tunc apparet, cum antegressa est honestas, etiam in tribus superioribus uirtutibus. uel, Est species liberalis ex uirtute orta.

Declara discrimen honesti & decori.

Vt uenustas & pulchritudo corporis secer-

ni non potest à ualetudine: sic decorum, totũ quidem illud est cum uirtute confusum: sed mente & cogitatione distinguitur: estq́ uelu ti color quidam uirtutis, eam ut umbra corpus, comitans.

Quid differt homo à bestia?

Bestiæ nihil sentiunt nisi uoluptatem: ad eamq́ feruntur toto impetu. Hominis autem mens discendo alitur: & cogitãdo semper aliquid aut inquirit, aut agit: uidendiq́ & audiendi delectatione ducitur.

Quotuplex est uis animorum atq; naturæ humanæ?

Duplex: Vna pars in appetitu posita est (quæ est ὁρμὴ Græcè) quæ hominem huc & illuc rapit: altera in ratione: quæ docet & explanat, quid faciendum fugiendum'ue sit. Ita fit, ut ratio præsit, appetitus uerò obtemperet.

Ratio quid præcipit?

Virtutem & sapientiam esse expetendas.

Appetitus quò impellit?

Ad uoluptatẽ & ambitionem, harumq́ instrumenta, pecuniam & opes consectanda.

Est'ne

Eſt'ne parendum appetitui?

Imò appetitus uoluptatis omnes moderandi, contrahendi, ſedandi, occultandiq́; ſunt: excitandaq́; eſt animaduerſio & diligentia: ne quid temerè ac fortuitò, inconſideratè negligenterq́; agamus.

Licet'ne uti ludo & ioco?

Licet id quidem: ſed ſicut ſomno & cæteris: tum cùm grauibus ſerijsq́; rebus ſatisfecerimus. Deinde in ipſo ioco aliquod probi ingenij lumen eluceat. Deniq; uictus cultusq́; corporis ad ualetudinem referantur & ad uires, non ad uoluptatem.

Quid inter iuſticiam & decorum intereſt?

Iuſticiæ partes ſunt, non uiolare homines: uerecundiæ (ſine qua nihil rectũ eſſe poteſt, nihil honeſtum) non offendere: in quo maximè perſpicitur uis decori.

Quotuplex eſt decorum?

Duplex: poeticum, quo deſcribuntur homines, non quales eſſe debent, ſed quales fuiſſe perhibentur. Et, philoſophicum: quo homo, legi naturæ parens informatur.

Quo-

Quotuplex id est?

Triplex docēdi causa statuitur: Primum, Generale, quod in legitimo usu rationis & orationis cernitur: estq; ἁρμονία καὶ συμφωνία ὅλης τῆς ψυχῆς, cùm appetitus rationi obedit: estq; ferè idem, quod uniuersalis iustitia, & κατορθώματα generat: rara auis in terris, nigroq; simillima cygno. Alterum, Speciale, quod siue prudentiæ, siue iusticiæ, siue fortitudinis actiones comitatur. Tertium, Singulare, quod κατ' ἐξοχὴν Temperantiæ tribuitur: quæ decorum cogitationum, sermonum, actionū, pro cuiusq; natura, ætate, dignitate, fortuna, temporibus, locisq; complectitur.

Decorum quod in omnibus factis & dictis, in corporis deniq; motu & statu cernitur: quot in rebus positum est?

In quatuor. Formositate siue pulchritudine: in qua est uel muliebris uenustas, uel dignitas uirilis, coloris bonitate tuenda: color, exercitationibus corporis. deinde in ordine, εὐταξία καὶ εὐκαιρία. tertio in ornatu ad actionem apto: Denique in cura illa, ut probemur ab ijs, cum quibus & apud quos uiuamus.

Deco-

Decorum quomodò facilimè ſeruabitur?

Si ſtudia ſua ſuæ quiſq; naturæ regula metiatur, & ſuæ perſonæ apta ſuſcipiat. Id enim quenq; maximè decet, quod eſt cuiuſq; ſuum maximè. Suum igitur quiſq; noſcat ingeniũ: acremq́; ſe & uitiorum & bonorum ſuorum iudicem præbeat.

Perſona quotuplex eſt?

Duplex, publica magiſtratus: cuius proprium munus eſt, intelligere, ſe gerere perſonam ciuitatis: debereq́; eius dignitatem & decus ſuſtinere: ſeruare leges: iura deſcribere: ea fidei ſuæ commiſſa, meminiſſe. Altera priuati hominis ſeu boni ciuis: quem oportet æquo & pari cum ciuibus iure uiuere: neque ſummiſſum & abiectum, neq; ſe efferentem: tum in Republica ea uelle, quæ tranquilla & honeſta ſint.

Priuata perſona quotuplex eſt?

Quadruplex conſtitui poteſt, ut & ipſum decorum: à quo non magnoperè differt.

Quæ prima eſt?

Ea quam hominibus uniuerſis impoſuit ipſa

ipsa natura, magna cum excellentia præstantiaq́; animantium reliquorum: nec aliud est, quàm decorum generale.

Quæ est altera?

Quæ propriè singulis est tributa.

Declara exemplis?

Sunt & in corporibus magnæ dissimilitudines: ut alij uiribus ad luctandum, alij ad cursum uelocitate ualent: in formis alijs dignitas inest, alijs uenustas: & in animis sunt innumerabiles dissimilitudines naturæ morumq́; minimè uituperandorum: in alijs est multus lepos, multaq́; hilaritas: in alijs singularis seueritas: in alijs mira calliditas, &c.

Quod est præceptum huius loci?

Ad quas res aptissimi erimus, in ijs potissimùm elaborabimus.

Quæ est tertia persona?

Quam casus aliquis uel tempus imponit. Nam regna, imperia, nobilitates, honores, diuitiæ, opes, eaq́; quæ sunt his contraria, in casu sita, temporibus gubernantur.

Quod

Quod eſt huius loci præ-
ceptum?

Si quandò neceſſitas nos ad ea detruſerit, quæ noſtri ingenij non erunt: omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia: ut ea, ſi nõ optimè, at non indecorè facere poſſimus.

Quæ eſt quarta perſona?

Quam ipſi nobiſmetipſis, ſiue iudicio noſtro, ſiue autoritate parentum & patronorũ accommodamus. Itaq; ſe alij ad Philoſophiã, alij ad ius ciuile, alij ad eloquentiam applicant: ipſarumq́; uirtutũ alius in alia mauult excellere.

Quæ ſunt præcepta iſtius
generis?

1. *Inprimis conſtituendum eſt, quos nos & quales eſſe uelimus? & in quo genere uitæ? In quo cauendũ, ne antè implicemur aliquo certo genere curſuq́; uiuendi, quàm potuerimus, quod optimum eſſet, iudicare.*

2. *Vitia maiorum non ſunt imitanda: ſed, cùm optima hæreditas à patribus tradatur liberis, omniq́; patrimonio præſtantior, gloria uirtutis, rerumq́; geſtarũ: ei dedecori eſſe, nefas & uitium iudicandum eſt.*

3. *Si*

3. *Si natura non feret, ut quadam imitari possis: illa tamen præstabis quæ in tua potestate sunt, iusticiã, fidem, liberalitatem, modestiam, temperantiam.*

4. *In hac deliberatione, fortuna nonnunquam, tanquam ipsa mortalis, cum immortali natura pugnare uidetur.*

5. *Si te errasse intellexeris in deligendo genere uitæ: facienda morũ institutorumq́; mutatio est: adiuuantibus præsertim temporibus.*

Quid prætereà in ratione decori considerandum est?

Ea quæ uulgò circumstantiæ dicuntur: hoc est, attributa rerum & personarũ: ut, Quod sit officiũ adolescentis, senis, magistratus, priuati, peregrini: qui uestitus, incessus, sermo, quæstus probetur: & hoc genus alia cõplura.

Nihil ergo cætera pertinent ad adolescentes?

Si quidẽ Aristotelem autorem sequamur: à tota hac morum doctrina remouebitur adolescens, cùm ob imperitiam rerum humanarum, tum quòd affectibus indulgere ista ætas soleat. Ac Aristotelis sententia (si dextrè intelligatur,

telligatur, & non ad cognoscendum sed ad agendum referatur) nihil sanè habet incommodi. Sed instituto nostro & ipsi ueritati congruentius disputat orator Aeschines, nos pueros ea discere, quibus uiri facti demum utamur. Alioquin ex ÿs quæ hactenus exposita sunt, omitti pleraq; potuissent.

Quem uerò nunc præcepta illa usum habent?

Vt adolescens maturè assuescat, hisce regulis adhibitis, sine temeritate tamen & arrogantia, iudicare dicta & facta aliorum.

Quid ergo senibus præcipit Cicero?

Senibus (inquit) labores corporis minuendi, exercitationes animi etiam augendæ uidentur. Danda uerò opera, ut & amicos, & iuuentutem, & maximè Rempublicam consilio, & prudentia quàm plurimùm adiuuēt. Nihil autem magis cauendum est senectuti, quàm ne languori se, desidiæq; dedat. Luxuria uerò, cùm omni ætati turpis, tum senectuti fœdissima est. Sin autem libidinum etiam intemperantia accesserit, duplex malum est, quòd & ipsa senectus concipit dedecus, & facit adolescentiū impudentiorē intēperantiā.

Quod eſt proprium munus magiſtratus?

Intelligere ſe gerere perſonã ciuitatis, debereq́; eius dignitatem & decus ſuſtinere, ſeruare leges, iura deſcribere, & ea fidei ſuæ cõmiſſa meminiſſe.

Quod eſt priuati officium?

Priuatum oportet æquo & pari cum ciuitatibus iure uiuere, neq; ſubmiſſum & abiectum, nec ſe efferentem: tum in Republica ea uelle, quæ tranquilla & honeſta ſint. Talem enim & ſentire bonum ciuem & dicere ſolemus.

Quod eſt peregrini atq; incolæ officium?

Nihil præter ſuum negotium agere, nihil de alio inquirere, minimeq́; in aliena eſſe Republica curioſum.

Quomodo officia generatim reperientur?

Cùm quæretur quid deceat, & quid aptũ ſit perſonis, temporibus, ætatibus. Nihil eſt autem quod tam deceat, quàm in omni re gerenda, conſilioq́; capiendo ſeruare conſtantiam.

Po-

Potiſsimùm attingito, quæ tuæ ſunt ætati aptiſsima.

Adoleſcentis igitur eſt, maiores natu uereri, ex hisq́ eligere optimos & probatiſsimos, quorum cõſilio atq; autoritate nitatur. Ineuntis enim ætatis inſcitia, ſenum conſtituenda & regenda prudentia eſt. Maximè autem hæc ætas à libidinibus arcenda eſt, exercendaq́ in labore patientiaq́ & animi & corporis, ut eorum & in bellicis & in ciuilibus officijs uigeat induſtria. Atq; etiam cùm relaxare animos & dare ſe iucunditati uolent: caueant intemperantiam: meminerint uerecundiæ: quod erit facilius, ſi eiuſmodi quoq; rebus maiores natu intereſſe uelint.

Veſtitus qualis eſſe debet?

In eo (ſicut in pleriſq; rebus) mediocritas optima eſt: adhibenda mundicia non odioſa, neq; exquiſita nimis. In omni enim genere, quæ ſunt recta & ſimplicia laudantur.

De inceſſu quid præcipitur?

Cauendum eſt, ne aut tarditatibus utamur in greſſu mollioribus, ut ſimiles pomparum ferculis eſſe uideamur: aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates.

Oratio quomodo diuiditur?

In contentionem: quæ tribuenda est disceptationibus iudiciorum, cõcionum, senatus: et sermonem: qui in circulis, disputationibus, congreßionibus familiarium uersatur: persequitur etiam conuiuia.

In sermone quid obseruandum?

Vox clara sit & suauis: sermo uerò lenis minimeq́ pertinax: insit in eo lepos: uacet perturbationibus, hoc est, motibus animi nimijs, rationi non obtemperantibus. Curandum est ut eos, quibus cum sermonem conferimus, & uereri & diligere uideamur. Si serijs de rebus loquimur: seueritas adhibeatur: si iocosis, lepos.

In sermone quæ uitanda sunt?

I. Prouidendum est, ne sermo uitium aliquod indicet inesse moribus: ut est iracũdia, aut cupiditas aliqua, aut pigricia, aut ignauia: ne' ue studiosè de absentibus, detrahendi causa, aut per ridiculum, aut seuerè, maledicè contumelioséque dicamus.

II. Animaduertendum est etiam, quatenus sermo delectationem habeat: & in eo uicißitudine utendum: & ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus.

III. Ab

III. Ab obiurgationibus (ad quas nunquam nisi necessariò ueniendum est: si nulla reperietur alia medicina) ira procul absit: cum qua nihil rectè fieri potest: seueritas adhibeatur: contumelia repellatur.

IIII. In contentionibus, quæ cum inimicissimis fiunt, grauitas retineatur, iracundia repellatur.

V. Vitanda & περιαυτολογία (prædicatio sui ipsius) & uanitas. (Nostra barbaries etiã de cauendis deierationibus, blasphemijs, obscœnitatibus, necessariò admouetur.)

VI. Turpe est, ualdéque uitiosum, in re seuera, conuiuio dignum, aut delicatum aliquem inferre sermonem.

Quæ est materia sermonum?

Habentur plerunq; sermones aut de domesticis negocijs, aut de republica, aut de artiũ studijs & doctrina. Danda igitur opera est, ut, etiamsi aberrare ad alia ceperit, ad hæc reuocetur oratio.

Qualem hominis honorati & principis domum placet esse?

Domus finis est usus: ad quem accommodanda est ædificandi descriptio: & tamẽ adhibenda dignitatis commoditatísque diligen-

tia, & cura laxitatis: &, ut in cæteris, haben da ratio non sui solùm, sed etiam aliorum. Et ornanda est dignitas domo: non ex domo dignitas tota quærenda: nec domo dominus: sed domino domus honestanda est. Cauendum item, ne extra modum sumptu & magnificentia prodeas. Est enim mediocritas ad omnem usum cultumq; uitæ referenda.

Quæ sunt generalia decori præcepta?

Tria maximè: Primum, Curandum est, ut cogitatione (quæ in uero exquirendo maximè uersatur) ad res quàm optimas utamur: appetitum uerò (qui impellit ad agendum) rationi obedientem præbeamus.

Secundum, Mediocritas ad omnem usum cultumq; uitæ transferenda est: & animaduertendum, quanta illa res sit, quam efficere uelimus: neu minor, néue maior cura & opera suscipiatur, quàm causa postulet.

Huic præcepto adiunguntur necessariæ quædam admonitiones, hoc ordine.

1. *Cauendum, ut ea quæ pertinent ad liberalem speciem & dignitatem, moderata sint. Modus autem est optimus, decus ipsum tenere,*

re, nec progredi longius.

2. Talis est ordo actionum adhibendus, ut, quemadmodum in oratione constanti: sic in uita, omnia sint apta & inter se cõueniẽtia.

3. Quæ parua uidentur delicta, nec à multis intelligi possunt: ab his est diligentius declinandum, & magna intelligẽda ex paruis: & iudicandum, quid aptè fiat: quid ab officio naturaq́ʒ discrepet.

4. Si quid dedecet in alijs, uitemus & ipsi.

5. Adhibitis doctis, uel etiam usu peritis, uidendum est, nõ modò quid quisqʒ loquatur: sed etiam quid quisqʒ sentiat: atqʒ etiam qua de causa quidq́ʒ sentiat.

6. Aliorum iudicio permulta nobis & facienda & non facienda, & mutanda & corrigenda sunt. Maior enim pars eò ferè deferri solet, quò à natura ipsa deducitur.

7. Quæ more aguntur & institutis ciuilibus: illa ipsa præcepta sunt.

8. Magna uis est & loci & temporis.

9. Bonum uirum decet, non solùm manus, sed etiam oculos abstinentes habere.

Tertiùm, Communem totius generis humani conciliationem & cõsociationem colere, tueri, seruare debemus: & adhibere quan

dã reuerentiã, & optimi cuiusq; et reliquorũ.

Habet & hoc praeceptum suas quasdã declarationes.

1. *Quæ natura occultauit, eadem omnes, qui sana mente sunt, remouent ab oculis: ipsiq; necessitati dant operam ut quam occultissimè pareant: naturámq; secuti, ab omni, quod abhorret ab ipsa oculorum auriúmq; cõprobatione, fugiant.*

2. *Eos quorum uita perspecta in rebus honestis atq; magnis est: bene de republica sentientes: ac bene meritos aut merentes: aliquo honore aut imperio affectos, obseruare & colere iisq; cedere debemus.*

3. *Tribuere etiam multum senectuti.*

4. *Habere delectũ ciuis & peregrini: in ipso peregrino, priuatímne an publicè uenerit?*

[Locus hic de reuerentia & obseruantia præstantiorum & seniorum, si unquam necessarius fuit, hoc tempore uel maximè agitandus est, in summa impudentia & arrogantia imperitæ & flagitiosæ adolescentiæ.]

5. *Nec actio partium corporis, quarũ usus sunt necessarij, aperta, petulantia uacat: nec oratio obscœnitate.*

6. *In statu, incessu, sessione, accubatione, uultu,*

uultu, oculis, manuum motu, tenentes illud decorum, curabimus, ne quid effœminatum aut molle, aut ne quid durum aut rusticū sit.

7. *Quæ cum aliqua perturbatione fiunt: ea neq; constanter fieri possunt, nec ab ijs, qui adsunt, approbari.*

Artificia & quæstus, qui liberales habendi? qui sordidi sunt?

1. *Improbantur hi quæstus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum, ut fœneratorum.*

2. *Illiberales item sunt & sordidi quæstus mercenariorum omnium, quorum operæ, nō artes emuntur. Est enim in illis ipsa merces autoramentum seruitutis.*

3. *Sordidi etiam putandi, qui mercātur à mercatoribus, quod statim uendant. Nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur. Nec uerò est quicquam turpius uanitate.*

4. *Opificésq; omnes in sordida arte uersantur. Nec enim quicquā ingenuum potest habere officina.*

5. *Minimég; artes eæ probandæ, quæ ministræ sunt uoluptatum.*

Quas ergo artes probas?

Quibus artibus aut prudentia maior in-

est: aut non mediocris utilitas quæritur: ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerũ honestarum: hæ sunt ijs, quorum ordini cõueniunt (plebeijs hominibus) honestæ.

De mercatura quid statuendum?

Ea, si tenuis est, sordida putanda est. Sin magna & copiosa, multa undiq; apportans, multisq; sine uanitate impertiens: nõ est admodum uituperanda.

De agricultura quid censes?

Omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nil dulcius, nil homine libero dignius.

Quid restat in primo de officijs libro memorabile?

Is uero (ut initio intelligere potuisti) priore loco ipsius honestatis, id est, uirtutum omnium, uim atq; naturam explicat. Restat igitur posterior, honestorum ipsorum inter se cõparatio.

Cuiusmodi ea est?

Iusticiam & prudentiæ & fortitudini esse anteferendam: modestiæ uero nonnunquam postha-

posthabendam: quòd quædā ita fœda, ita flagitiosa sint: ut ea, ne conseruandæ quidem patriæ causa, sapiens facturus sit.

Quibus argumentis probatur communitatem contemplationi præstare?

Primùm, à definitione: quòd princeps omnium uirtutum illa sapientia: rerū diuinarū & humanarum scientia: in qua contineatur Deorum & hominum communitas, atque societas: maxima sit.

Secundò à fine: quòd cognitio contemplatioq́ natura manca quodammodo atque inchoata sit, ac soliuaga & ieiuna uideatur: si nulla actio rerum consequatur.

Tertiò ab autoritate & testimonio sapientum: qui et salutem patriæ ac necessariorum, contemplationi præferant: & ad hominū utilitatem, suam prudentiam intelligentiamq́ potissimùm conferant.

Quartò, à comparatione: quòd cogitatio uel acutissima in se ipsa uertatur: eloquentia uerò complectatur etiam eos, quibus cum cōmunitate iuncti simus.

Estne

Eſt'ne propter neceſsitatem uitæ iſta cum hominibus communitas, an natura?

Propter utranq;. Nam nec ea, quæ natura deſiderat, conſequi ſine alijs poſſemus: & optimo quiſq; ingenio, ſi omnia illi, quæ ad uictũ cultúmq; pertinent, quaſi uirgula diuina ſuppeditarentur: quamuis totum ſe in cognitione & ſcientia collocaſſet: tamen & ſolitudinem fugeret, & ſocium ſtudij quæreret: tum docere, tum diſcere uellet: tum audire, tum dicere. Quòd ſi tanta ſolitudo ſit, ut hominẽ uidere non poſsit: ſapiens excedat è uita.

Quamobrem Fortitudini communitas antefertur?

Quod magnitudo animi, remota communitate coniunctionéq; humana, feritas ſit quædam & immanitas.

In ipſa communitate qui ſunt gradus officiorum?

Prima Dijs immortalibus: ſecunda patriæ: tertia parentibus: deinceps gradatim reliquis debentur: ut eſt in præceptis beneficentiæ declaratum.

Finis quæſtionum, quæ iuuenili ætati maximè neceſſariæ uiſæ ſunt, ex primo Ciceronis libro de Officijs.

HIS SVBIICERE VISVM EST *uersiculos: olim à me adolescēte scriptos, cum primùm legeram Viti Amerpachij in officia commentariolos: qui sunt huiusmodi.*

Procemium I. de Officijs.

NAte meos uigili studio lege, uolue libellos,
Et Graijs Latium (si sapis) adde meum:
Sic ego coniunxi Romæ studiosus Athenas,
Res ea me fructus utilitate beat.
Nā tibi cur dubitē mea scripta pbare? diserti
Semper sectatus plena theatra fori.
Hos tamen officij præ cunctis discito libros,
Quos mihi couenies scribere, amare tibi.
Nā quod ages alijs præsentibus: atq; remotis
Testibus: officio non caruisse potest. (ptē
Quid tamē hic Epicurus habet, qd' dicat? ine
Omnia peruertens, suauia sola probans.

ARISTO, PYRRHO, HERYLLVS.

Omnia confudere leues Pyrrhon & Aristo,
Res quibus haud distāt, ἐ μία πάντα κόνις.
Nil uitro ferrum, nil sano corpore morbi,
Corpore nil animus, perniciē ue salus.

Dũq́; probãt magni uirtutẽ nominis umbrã,
Virtuti reliquum nil superesse sinunt.
Heryllus reliquis doctrinæ munera præfert,
Atq; uehit summi falsus honore boni.
Illa gubernatrix uitæ, cùm non queat esse,
Autor hic eÿcitur, despiciturq́; scholis.

PHILOSOPHI.

Socratis altus olor, fons est & origo sophorũ,
Et nihil affirmans indicis instar habet.
Hinc quatuor Paradisiaco ceu flũina ab hor-
Proueniunt sectæ dißimilesq́; sui. (to
Hi tam iudicio uariant, quàm sidera terris
Dißita postremis esse suprema uides.
Præcipuè uarios conquirunt undiq; fines.
Vix tot in Aegypto iurgia Nile cies.
Doctus Aristoteles primas decernit honesto:
Cætera quæq; suum uult retinere decus.
Corporib. præstãt animi: bona corporis optat
Plus quàm diuitias, qui ratione ualet.
STOICA uirtuti morosa profeßio palmam
Vendicat, hanc præter nil ait esse bonum.
Vtile dicendum putat esse προηγμένον: idq́;
Nominis indignum censet honore boni.
Et sua monstrosis horrentia dogmata uerbis
Implicat: affectus à sapiente secat.

Mollibus

Mollibus aſt Epicureis placet una uoluptas
Corporis atq; animi:pura et honeſta tamẽ.
Vltima ſpectatrix ſupereſt Academia ueri,
Deq; probabilibus diſſerit illa datis. (ſcet,
Tullius hãc ſequitur. Sed Stoica dogmata mi
Sæpè Neoclidis dogmata falſa notat.
Parca uoluptatis fit mentio. Namq; Lyceum
Cũ probet hãc, uerbis Stoica turba negat.
Cætera ſectarum, ceu uilis nomina uulgi,
Quis queat ingenti commemorare libro?

METHODVS.

Eſt ratio duplex de rebus ritè docendi.
Erudit una rudes: commonet una ſophos.
Inſpicitur methodo finis naturaq; rerum,
Idq; θεωρητὸν dicitur eſſe genus.
Aſt aliàs præcepta modò traduntur. At illud
Πρακτικὸν à facto nomen habere ſcias.
Sæpè ſed hæc iunguntur et utiliter ſocientur,
Vt quid agas noris, cauſaq; nota ſiet.

ANTICIPATIONES.

Natura doctrice tenemus ſemina quædam
Paruula uirtutum, quas fons ebullit honeſti.
Omnis ab his paruis eſt orta ſcientia riuis:
Sed tamen hæc abſtruſa latent, ceu flamma
pyritis

Abdita

Abdita sub uenis, & caeco clausa recessu:
Quae nisi continuis attritibus eliciantur:
Pigra iacent, ueraq́ negant clarescere luce.

VTILITAS.

Infans repit humi, teneris infirmior annis,
Dum nequit erecto, quò libet, ire gradu:
Mox adolescentem firmat robustior aetas,
Vt pede tentet iter curriculoq́ uolet.
Sic Natura docet primùm nos utile, donec
Quod decet, annorum prospiciamus ope.

OFFICIA.

Facta refert primus duce quae nascuntur honesto,
Hoc quod uirtutũ pulchra quadriga uehit.
Magna minorib. anteeãt, at parua sequãtur,
Principis ut sequitur caetera turba gradũ.
Alter in utilium ratione uagatur: & idem
Praeponit paucis plura, bonumq́ malo.
Tertius utilibus rigidum componit honestũ,
Et negat hoc ulli cedere posse loco.
Asserit esse nihil, nisi quod consentit honesto,
Vtile: Stoicidûm dogmata dura sequens.

DELI-

DELIBERATIO.

Cōſiliū capturus, in hac tria tendito mentē,
Momorum nigros effugiture ſales:
Vnū ſi quid erit: diſquirito num ſit honeſtū,
Turpia ſemper enim ſunt fugienda tibi.
Sin duo: quod præſtabit, id elige. Deſipit ultrò
Qui bona præteriens, deteriora capit.
Vtile ſuccedit, domino ceu ſeruus, Honeſto,
Illius à nutu quod niſi pendet, obit.
Suauia triſticiæ, præponderat utile damno,
Magna minoribus eſt poſthabuiſſe nefas.
Vtilitas quoties pugnare uidetur honeſto:
Semper honeſtatem præpoſuiſſe decet.

Conſilium prius eſt actione.

Actio laude uacat, uacat utilitate modoq́;
Ni duce conſilio freta gubernet opus.
Hinc eſt, cur Cicero, dū res præſcribit agēdas,
Admoneat primùm quæ meditāda ſient.

FINIS LIBRI PRIMI.

QVID CONTINET SECVNDVS LIBER DE Officijs?

VTilitatem explicat, tanquã riuulũ, è fonte Honesti profluẽtem, cum eoq; coniunctum.

Quod'nam est utilitatis comparandæ artificium?

Ratio cõciliandæ hominum beneuolentiæ: qua tradenda liber hic potissimùm consumitur.

Quot sunt eius libri partes?

Præcipuæ tres: Procœmium, Doctrina utilitatis, & utilium inter se comparatio.

Quot sunt Procœmij partes?

Quatuor: Transitio ab Honesto ad utile, quam et in fine Procœmij repetit: Defensio philosophiæ suæ: Defensio Academiæ: & Compellatio filij.

Quomodò rectè se philosophari probat?

Per remotionem quandam: quòd oppressa Republica nihil melius agere potuerit: hoc ferè modo. Cùm nusquam esset consilio & autoritati locus: cum illæ literæ conticuissent forenses & senatoriæ; cùm socios deniq; tuendæ Reipu-

Reipublicæ, summos uiros, amisissem: aut me angoribus dedere necesse habui: aut uoluptatibus: aut ocio, aut me ad Philosophiam referre. Sed quia angores me confecissent, nisi ijs restitissem: & uoluptates homine docto indignæ sunt: & nihil agere animus non potest, in studijs ab initio uersatus ætatis: ea literis mãdauimus, quæ nec satis erant nota nostris: & erant cognitione dignissima.

Philosophiæ nomen quid significat?

Studium atq; expetitionem sapientiæ.

Quid est sapientia?

Rerum diuinarum & humanarum, causarumq;, quibus hæ res continentur, scientia. (quatenus humana ratio consequi potest.) Qua quid est, per Deos, optabilius? quid præstantius? quid homini melius? quid homine dignius?

Proba hoc?

Quia & oblectationem animi requiemq; curarum affert Philosophia: & disciplinam uirtutis tradit.

Est'ne aliqua disciplina uirtutis?

Quid ni? cùm minimarũ rerum sine arte nulla sit.

Nunquid uerò eam philoſophia tradit?

Vbi uerò ea quæretur, cùm ab hoc diſcendi genere diſceſſeris?

Academicam profeſsionem quomodò defendit?

Quid, inquit, eſt quod me impediat, ea quæ mihi probabilia uidentur ſequi? atq; affirmandi arrogantiam uitantem, fugere temeritatẽ? quæ à ſapiẽtia diſsidet plurimùm.

Cur uerò contra omnia diſputatur ab Academicis?

Quòd ipſum probabile, quod ipſi ſequuntur in diſputando, elucere non poſsit: niſi ex utraq; parte cauſarum ſit facta contentio.

Dic primum locum ipſius doctrinæ?

Id uerò eſt Axiôma Stoicum, Chriſtianæ doctrinæ cõſentaneum. Quicquid honeſtum eſt, idem eſt utile. Quare honeſtis conſilijs, iuſtisq; factis: non fraude & malicia, ea quæ uelis, ſunt conſequenda.

Quid eſt utile?

Quod, ſalua iuſticia & honeſtate, ad commoda uitæ, copias, opes, facultates pertinet.

Quæ

Quæ est diuisio rerum utilium?

Hæ sunt uel animatæ uel inanimæ. Animatæ rursus sunt uel brutæ, uel rationis participes. Itemq́; mente præditæ uel Dij sunt uel homines.

De dijs quid præcipit?

Deos, qui hominibus maximè utiles esse possunt, inquit, placatos efficiet pietas & sanctitas.

ANNOTATIO.

Doctrina Religionis, non à philosophis: sed à Prophetis, Euangelistis atq; Apostolis est petenda. Constat enim Religio non humana ratione, sed diuina patefactione.

De hominibus quid?

Dijs exceptis, homines hominibus obesse plurimùm uel prodesse, arbitrantur.

Quid uerò de Fortuna sentis?

Magnam uim esse in ea in utranq; partem, uel ad secundas res, uel ad aduersas, quis ignorat? Nam & cùm prospero flatu eius utimur, ad optatos exitus peruehimur: et cùm reflauit, affligimur.

Quid est Fortuna?

Diuina prouidentia, res mortaliũ ita ad-

miniſtrans: ut mirabilium euentuum cauſæ à pleriſq; ignorentur.

Ἀξίωμα.

Veridico fiunt omnia iudicio.

Dic iam de rebus brutis atq; inanimis?

Eæ omnes hominibus acceptæ ſunt referendæ: quod quidem ad cõmodum earum uſum attinet.

Hominũ uerò ſtudia, ad amplificationem noſtrarum rerum prompta & parata, quomodò excitantur?

Virorum præſtantium uirtute & ſapientia maximè, hoc eſt, homines uiris præſtantibus uirtute & ſapientia potiſsimùm inſeruire & adiumento eſſe cupiunt.

Quot autem ſunt conciliandæ hominum beneuolentiæ rationes?

Quinq; ferè. 1. Amor, qui plerunq; beneficijs excitatur. 2. Virtus, cuius pars in hoc genere præcipua eſt fides, iuſticiæ fundamentum. 3. Spes & expectatio emolumentorum.

torum. 4. Metus incommodorum, pessimus diuturnitatis custos: cùm odium occultet potius quàm beneuolentiam pariat. 5. Precium siue Largitio, quæ quidem sordidissima est ratio & inquinatissima, sed est tamen interdum necessaria.

Dic breuius, ipsius Ciceronis uerbis?

Summa & perfecta gloria constat ex tribus his: Si diligit multitudo, si fidem habet: si, cum admiratione quadam, honore nos dignos putat.

Quid est gloria?

Consentiens laus bonorum, incorrupta uox bene iudicantium de excellenti uirtute.

Quibus rebus beneuolentia capitur?

Beneficijs maximè, benefica uoluntate, ipsa fama & opinione liberalitatis, beneficentiæ, iusticiæ, fidei.

Fides ut habeatur, quibus rebus effici potest?

Duabus: Si existimabimur adepti coniunctam cum iusticia prudentiam.

Quæ eſt utilis ueraq; prudentia?

Plus intelligere quàm cæteros: & futura proſpicere: &, cùm res agitur, in diſcrimenq́; uentum eſt, expedire rem: & conſiliũ ex tempore capere poſſe.

Iuſticiæ quæ uis eſt?

Iuſtis & fidis hominibus, id eſt, bonis ita fides habetur: ut nulla ſit in his fraudis iniuriæq́; ſuſpitio.

Poteſt'ne quiſquam, qui non idem prudens ſit, iuſtus eſſe?

Populariter poteſt. Alia eſt enim illa, cùm ueritas ipſa limatur in diſputatione, ſubtilitas: alia, cùm ad opinionem communem omnis accommodatur oratio.

Quomodò cum admiratione hominum honore ab his digni iudicabimur?

Si in nobis exiſtiment ſe excellentes quaſdam & ſingulares uirtutes perſpicere. Deſpiciunt autem eos & contemnunt, in quibus nihil uirtutis, nihil animi, nihil neruorum putant.

Quas dicis excellentes & ſingulares uirtutes?

Cùm omni carere dedecore, tum uerò ijs uitijs,

tijs, quibus alij non facilè possunt obsistere: ut sunt: Voluptates, blandissimæ dominæ, & dolorum faces, & pecunia. Nam uita, mors, diuitiæ, paupertas, omnes homines uehementissimè permouent: paucos uerò, cùm aliqua his ampla & honesta res obiecta est, totos ad se conuertit & rapit. Neque uerò iustus esse quisquam potest, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem timet: aut qui ea, quæ sunt his contraria, æquitati anteponit.

Recita iusticiæ laudes atque effectus?

Hæc & gloriam parit, & amicitiam tuetur, & in solitudine defendit, & commercia contractusque moderatur, & latronum etiam opes firmat, & legum atque regum constituendorum autor extitit.

Quæ uerò est uia ad gloriam proxima & quasi compendiaria?

Autore Socrate, si quis id agat, ut qualis haberi uelit, talis sit.

Est'ne omnium adolescentium eadem conditio?

Non. Nam alij ab ineunte ætate habent causam celebritatis & nominis, aut à patre

 acceptam,

acceptam, aut aliquo casu atq; fortuna: quorum nullum obscurum potest nec dictum esse nec factum. Aliorum prima ætas propter obscuritatem & humilitatem in hominũ ignoratione uersatur.

Quid ergò his agendum est, ut cognoscantur?

Hi simul ac iuuenes esse ceperunt, magna spectare, & ad ea rectis studijs debent contendere.

Quæ magna dicis?

Vulgus hoc nomine celebrat diuitias, honores, uoluptates. Sed reuerà maxima res est pietas, utriusq; uitæ promißiones habens. Succedunt uirtutes ciuiles, sapiẽtia, eloquentia: quibus utendum est inprimis, ut obediatur Deo, in tuenda ac propagãda salute ac dignitate Ecclesiæ & Reipublicæ. Quod qui fideliter constanterq́; fecerit: is aut facilè se & à cõtemptu, & ab inopia uindicabit: aut Deo & conscientia sua fretus, hominum peruersa iudicia & intemperias negliget & contemnet. Vera enim & perfecta gloria est, probari Deo, & niti recti conscientia.

Quibus

Quibus ſtudijs id conſequendum eſt, ut qualis ſis, talis habearis?

Vel re militari: uel ijs rebus, quas perſequimur ingenio ac ratione: ut ſunt, in adoleſcente, Modeſtia, pietas in parentes, in ſuos beneuolentia, clarorum & ſapientum uirorum conſuetudo, comitas affabilitasq́ ſermonis, contentio orationis, id eſt, eloquẽtia: qua cum multi adoleſcentes & apud iudices & apud ſenatum dicendo laudem aſſecuti ſint: maxima admiratio eſt in iudicijs.

Iudiciorum quæ ratio eſt?

Duplex eſt. Nam ex accuſatione & defenſione cõſtat. Quarum etſi laudabilior eſt defenſio (maximè ſi quandò accidit, ut ei ſubueniatur, qui potentis alicuius opibus circũueniri urgeriq́ uideatur) tamen etiam accuſatio probata perſæpè eſt.

Quid in accuſando cauendum?

Primùm, ut, etiamſi Reipublicæ inimicos ulciſcaris, modus tamen adſit. Deindè, ne quem unquam innocentem iudicio capitis arceſſas.

In

In defensione quid præstandum?

Non habendum est religioni, nocentem aliquandò & nefarium impiumq́; defendere. Vult hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas, probat Panætius grauissimus Stoicorum.

Quid inter iudicem & patronum interest?

Quod illius est semper in causis uerum sequi: huius, uerisimile, etiamsi minus sit uerum, defendere.

Nostra ætate studiosus adolescens quomodò innotescet?

Si sacras conciones & publicas prælectiones atq; exercitationes, moribus modestissimis ornatus, & præceptoribus studiorumq́; suorum patronis summoperè obseruandis, frequentet: Si in optimi & doctissimi cuiusq; familiaritatem omnibus officijs se insinuet: Si modestum & comem se præbeat omnibus: Si consilio & opera, quos potest, adiuuet: Si lædat atque offendat (uolens quidem & sciens) neminem: Si non omni modò crimine, sed etiam suspicione criminis careat: Si tempus quàm parcissimè & prudentissimè dispenset:

Si

Si sobriè, castè, frugaliter, parceq́ uiuat: à luxu, arrogantia, contemptu aliorum & inuidentia alienissimus: Si purè & expeditè, siue Latinè siue Græcè loquatur & scribat: Si declamitet, crebrò disputet, priuatim doceat: Si (non tamen nisi magistris autoribus & censoribus) libellum Græcum Latinúmue, uel prosa uel uersa oratione, edat.

Quomodò benignè fit indigentibus?

Aut opera, id est, uirtute & industria: aut pecunia seu largitione: quam etsi Philippus Macedo corruptelam dixit: tamen sæpè idoneis hominibus indigentibus est de re familiari impertiendum: sed diligenter ac moderatè.

Quot sunt genera largorum?

Duo. Quorum alteri sunt prodigi: qui epulis & uiscerationibus, & gladiatorum muneribus, ludorum uenationumq́ apparatu pecunias profundunt: Alteri liberales & graues: qui omnia quæ fiunt, certo iudicio ponderantes, & sic liberalitate utentes, ne spoliēt se patrimonio: suis facultatibus aut captos à prædonibus redimunt: aut æs alienum suscipiunt amicorum: aut in filiarum collocatione adiuuant:

uant: aut opitulantur in re uel quærenda uel augenda: laudantur & hospitales.

Quæ prætereà sunt officia Liberalitatis?

Conuenit tum in dando munificum esse: tum in exigendo non acerbum: in omniq; re contrahenda, uendendo, emendo, conducendo, locando, in uicinitatibus & confiniis: multa multis de iure suo cõcedentem: à litibus uerò, quantum liceat, abhorrentem.

Quotuplex est ea beneficentia, quæ opera, non largitione constat?

Duplex: publica & priuata.

Priuatæ quot numerantur partes?

Tres: Iurisprudentia, eloquentia, commendatio.

Dic uerbis Ciceronis?

Quàm optimè cõstituti iuris ciuilis cognitio atque interpretatio, summo semper in honore fuit: atq; huic arti finitima dicendi grauior facultas, & gratior & ornatior.

Quid agendum ei, qui neq; iurisperitus neq; disertus est?

Ei licet opera prodesse multis, beneficia petentem:

tentem: commendantem iudicibus & magistratibus: uigilantem pro re alterius: hos ipsos qui aut consuluntur, aut defendunt, rogantem.

In eo quid cauendum?

Cùm alios iuuare uelint: ne uel imprudentes, uel scientes lædant aut eos quos non debent, aut eos quos non expedit. Vtendum etiam est excusatione aduersus eos, quos inuitus offendas, quacunque possis: certisque operis & officijs erit, quod uiolatum est, compensandũ.

In hominibus iuuandis quid spectandum?

Mores potius quàm fortuna: nec est inopis & optimi uiri causæ anteponenda, in opera danda, gratia fortunati & potentis.

Quid uulgò fit?

A' quo expeditior & celerior remuneratio fore uidetur: in eum ferè est uoluntas nostra propensior. Sed, autore Themistocle, malle debemus uirum, qui pecunia egeat: quàm pecuniam, quæ uiro: neque quicquam contendere contra æquitatem, quæ fundamentum est perpetuæ commendationis & famæ: aut pro iniuria, quæ nunquam potest esse laudabilis.

De

De publica beneficentia quid præcipit Cicero?

Ea tradit, quæ & à moribus nostri seculi pleraque abhorreant: & ad homines studiosos parùm attineāt: nisi ut de aliorum in hoc genere factis iudicare poßint: quæ qui uolet, ex ipso autore petat. Nos cōtēnti necessarijs, de superuacaneis minus laboramus.

Quæ tamen uitia in eo genere uitari iubet?

Primùm: Ne lædatur Respublica neq; largitionibus frumentarijs, neq; distributione pecuniæ, neq; diuisione agrorum. Deinde non nocendum est priuatis, neque nouis tabulis: neq; æquatione bonorum: neque tributis & exactionibus.

Quæ officia præcipit?

I. Vt earum rerum copia sit, quæ sunt necessariæ.

II. Vt in omni procuratione negocij & muneris publici pellatur auariciæ uel minima suspitio: & beneuolentia multitudinis, abstinentia & continentia concilietur.

III. Ea sit summa ratio & sapientia boni ciuis, commoda ciuium defendere non diuellere; atq; omnes æquitate eâdem continere.

IIII. Ne

IIII. *Ne sit æs alienum, quod Reip. noceat, prouidendum est. Nec enim ulla res uehementius Remp. continet, quàm fides: quæ esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum: fraudandiq; spe sublata, soluendi necessitas consequetur.*

V. *Iuris & iudiciorũ æquitate suum quisq; teneat.*

VI. *Quibuscunq; rebus uel belli uel domi poterunt, magni homines Remp. augeant imperio, agris, uectigalibus.*

De ualetudine quid præcipit?

1. *Valetudo sustẽtatúr noticia sui corporis, & obseruatione earum rerum, quæ res aut prodesse soleant aut obesse.*

2. *Et cõtinentia in uictu omni atq; cultu, corporis tuendi causa.*

3. *Et prætermittendis uoluptatibus.*

4. *Arte eorum, quorum ad scientiam hæc pertinent.*

Dic præcepta rei familiaris?

Res familiaris quæri debet his rebus, à quibus abest turpitudo: conseruari autem diligentia & parsimonia: ijsdem etiam rebus augeri.

Quæ est comparatio utilitatum?

1. Valere ut malis, quàm diues esse. 2. Diues esse potius, quàm maximis corporis uiribus. 3. Vt bona ualetudo uoluptati anteponatur. 4. Vt gloria diuitijs. 5. Vectigalia urbana rusticis: et huius generis alia cõplura.

FINIS QVAESTIONVM SECVNDI LIBRI.

QVAESTIONES E' TERtio libro M.T. Ciceronis de Officijs.

Quot sunt partes Procemij huius?



Vatuor potissimùm. Prima enim Cicero dissimilitudinẽ ocij Aphricani & sui ostẽdit: suumq́ scribendi studium commendando, beneuolentiam capit.

ANNOTATIO.

Alludit Cicero ad dictum illud Catonis: Clarorum uirorum nõ minus ocij, quàm negocij rationem extare oportere.

II. Vt primo libro, ita & hoc lectores attentos facit, doctrina officiorum cæteris philosophiæ preceptis præferenda: quæ est secunda

Procemij

Procemij huius pars.

Tertia filium, exemplo suo, Athenarum, Cratippi, ad uirtutem, perfectamq; doctrinam consequendam adhortatur: loco facultatis & spe præmiorum adiuncta, additoq; argumento à turpi, si secus fecerit.

Quarta dociles facit, ostendendo summã & propositionem libri tertij: qui continet locum, quo nullus est in tota Philosophia magis necessarius: cùm explicet quasdam dubitationes, utilitatis specie honestati repugnante. Hîc digreßione quadam, disputatio coniecturalis exoritur: utrum Panætius comparationem honestorum & utilium prætermiserit incuria quadam: an uerò cõsultò reliquerit?

Quid de ea controuersia sentiendum est?

Ciceronẽ, absolutione loci, à Panætio prætermißi, aliquo modo gloriari: ut qui quasi Coam Apellis Venerem, à cæteris desperatã, suo Marte perfecerit.

Potest'ne utilitas cum honestate pugnare?

Apud eos fortasse potest, qui omnia metiuntur emolumẽtis & commodis: neq; ea uolunt præponderari honestate. Bonis autem ui

ris: non modò pluris putare quod utile uideatur, quàm quod sit honestum, sed hæc etiam inter se comparare, & in his dubitare: turpissimum est.

Quos Cicero uiros bonos appellat?

Primùm Stoicos, quibus honestum solum bonum est, & à quibus summum bonum dicitur, Conuenienter naturæ uiuere, id est, cũ uirtute congruere semper: cætera autem, quæ secundum naturam sint, ita legere, si ea uirtuti non repugnent.

Deindè Peripateticos, quibus quod honestum est, ita summum bonum est: ut omnia ex altera parte collocata uix minimi momenti instar habeant.

Deniq; Socratem, execrari solitum eos, qui primi hæc (utilia & honesta) natura cohærentia, opinione distraxerint.

Tu uerò quid de ĳs sentis, qui uirtutem propterea colendam dicunt, quòd ea efficiens utilitatis sit: quiq; res expetendas uel uoluptate uel indolentia (ἀπονία ἢ ἀναλγησία) metiuntur?

Videntur minus illi quidem magnificè locuti:

cuti: ſed, humana imbecillitate animaduerſa, quid mortales omnes, rebus in extremum diſcrimen adductis, & ſentiant & factitẽt: expoſuiſſe.

Quod tu extremum diſcrimen dicis?

Perpetuos labores & cruciatus, propter uirtutis ſtudium tolerandos. Chriſtiana certè Religio, & æterni præmij ſpe, & metu ſupplicij, tum ab impietate reuocat: tum ad Dei cultum allicit. Et omnes uiri ſancti, quaſuis ærumnas, ob certam diuinæ remunerationis fiduciam, conſtanter pertulerunt: alioqui, ut D. Paulus ait, omnium mortalium miſerrimi futuri. Chriſtianiſmus igitur, id eſt, ἡ δικαιοκρισία τοῦ θεοῦ, καὶ ἡ αἰώνιος ζωὴ, & Stoicorum porticum fulcit: & uirtutem Peripateticorum tuetur: (quæ ſine præmio diuino, ſibi conſtare ad extremum nequit) & Epicuri ſentẽtiæ (modò illam in meliorem partem accipias) patrocinatur. Quæ enim maior animi uoluptas eſt? quod aliud uerius & ſolidius bonum, quàm æterna Dei & ſanctorũ, tam geniorum quàm hominum, ſine ulla corporis animiq; moleſtia, ſummoq; cum gaudio, frui conſuetudine? quò uera uirtus, id eſt,

Christiana fides, spes, charitas, perducit?

Ergò uirtus, omni & sublato præmio, & cruciatu perpetuo proposito, labascit? nec est τὸ καλὸν δι' αὐτὸ αἱρετόν;

De uiris heroicis & diuinitùs illustratis aliorum esto iudicium. Sed pleriq; uidemur præmijs & pœnis maximè commoueri. Qua de re, lib. de Rep. tertio, ad hunc modum Cicero scripsit. Quæro, si duo sint, quorum alter optimus uir, æquissimus, summa iusticia, singulari fide: alter insignis scelere & audacia: & si in eo sit errore ciuitas: ut bonum illum uirum, sceleratum, facinorosum, nefarium putet: contrà autem, qui sit improbissimus, existimet summa esse probitate ac fide: proq; hac opinione omnium ciuium, bonus ille uir uexetur, rapiatur, manus ei deniq; auferantur, effodiantur oculi, damnetur, uinciatur, uratur, egeat, postremò, iure etiam optimo, omnibus miserrimus esse uideatur: contrà autem ille improbus laudetur, colatur, ab omnibus diligatur: omnes ad eum honores, omnia imperia, omnes opes, omnes deniq; copiæ conferantur, uir denique optimus, omnium æsti-

æstimatione, & dignissimus omni fortuna iudicetur: quis tandē erit tam demens, qui dubitet, utrum se esse malit?

Quin tu, istis omissis, formulam aliquam constitue: quam si sequamur in comparatione rerum: ab officio nunquam recedamus?

Ea sanè breuis est, sed latè patet, itaq; se habet: Quicquid honestū est, idem utile uideatur: nec utile quicquam, quod non honestum.

Quid inde sequitur?

Detrahere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum: magis esse contra naturam, quàm mortem, quàm paupertatē, quàm dolorem, quàm cætera quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis.

Sententia hæc illustratur contentione contrarij, hoc modo:

Multò magis est secundum naturam excelsitas animi & magnitudo, itemq; communitas, iusticia, liberalitas: quàm uoluptas, quàm uita, quàm diuitiæ.

Quibus argumentis id probas?

Primùm, Ab effectu cōtrarij. Quia si sic eri

mus affecti, ut quisq; propter suũ emolumentum spoliet aut uiolet alterum: disrumpi necesse est eam, quæ maximè est secundum naturam, humani generis societatem. Iniuria enim tollit conuictum humanum. (Hîc notetur similitudo corporis humani.) Deinde, Ab autoritate populorum. Hoc enim spectant leges, hoc uolunt, incolumem esse ciuium cõiunctionem: quam qui dirimunt: eos morte, exilio, uinculis, damno cohercent.

ANNOTATIO.

Cicero Naturam, id est, ius gentium: & legem diuinam & humanam (sic enim appellat) cui parere omnes debeant: causam societatis humanæ effectricem statuit: quam utique & cõmunis & priuata utilitas sequitur.

Non ergo concessum est, ut sibi quisq; malit, quod ad usum uitæ pertineat, quâm alteri acquirere?

Est uerò. Sed illud natura non patitur, ut aliorum spolijs nostras facultates, copias, opes augeam⁹. (Notetur hîc similitudo cursoris.)

Quî fit ergò, ut homo noceat homini?

Aut quia omninò hominem ex homine tollit:

tollit: cùm nihil existimet cõtra naturam fieri, hominibus uiolandis: aut quia errat in eo, quòd ullum aut corporis aut fortunæ uitium animi uitijs grauius existimat.

Cur animi uitia grauissima sunt?

Quia & principem hominis partem, hoc est, bonam mentem diuinitùs datam, lædũt: & alienant à Deo: & repugnant naturæ: & infamiam cladesq́; afferunt: in bene quidem constitutis Rebuspublicis: post mortem uerò, æternum exitium.

Vna'ne continemur omnes & eadem lege naturæ? Estq́; communis omnium utilitas?

Hoc certè natura præscripsit, ut homo homini, quicunq; sit (siue cognatus, siue ciuis, siue externus) ob eam ipsam causam, quòd is homo sit, consultum uelit. Vnde existit beneficentia, liberalitas, bonitas, iusticia.

Qua methodo utitur Cicero?

Non apodictica Philosophorum: sed hypothetica Geometrarum. Concedi enim sibi postulat: aut nihil præter id quod honestum sit, propter se esse expetendum: aut quod honestũ sit, id esse maximè propter se expetendum.

Hanc sententiam Cicero alijs atq; alijs uerbis, animo lectoris studet infigere, ad hunc modum:

1. Intelligendum est, ubi turpitudo sit, ibi utilitatem esse non posse.

2. Nihil est tam contra naturam, quàm turpitudo.

3. Recta & conuenientia & constantia natura desiderat, aspernaturq; contraria.

4. Nihil tam est secundum naturã, quàm utilitas.

5. Si ad honestatem nati sumus: eaq; aut sola expetenda est, aut certè omni pondere grauior habenda, quàm reliqua omnia: necesse est, quod honestum sit, id esse aut solùm, aut summum bonũ. Quod autem bonum: id certè utile. Ita quicquid honestum, id utile est.

6. Ea omnino deliberanda non sunt, in quibus est turpis ipsa deliberatio.

7. Ex omni deliberatione cælandi & occultandi spes opinioq; remouenda est.

8. Satis nobis persuasum esse debet (si quid modò in philosophia profecimus) si omnes Deos hominesq; cælare poßimus: nihil tamen auarè, nihil iniustè, nihil libidinosè, nihil incontinenter esse faciendum. (Notetur fabu-

la

la Gygis: & prouerbium rusticorum, dignus quicum in tenebris mices.)

9. *Honesta bonis uiris, non occulta quærun tur.*

10. *Iaceat utilitatis species: ualeat honestas.*

11. *Illa præclara sunt, in quibus publicæ utilitatis species præ honestate contemnitur.*

12. *Tanta uis est honesti, ut speciem utilita tis obscuret.*

13. *Vtilitas nulla est repugnãte honestate.*

14. *Eadem utilitatis quæ honestatis est regula. Qui hoc non peruiderit: ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus.*

15. *Res à natura copulatas (honestum & utile) audere errore diuellere: fons est fraudum, maleficiorum, scelerum omnium.*

16. *Nihil nec expedire, nec utile esse, quod sit iniustum: hoc qui non didicerit: bonus uir esse non poterit.*

17. *Virum bonum esse, res est, quæ innume rabilibus officijs & laudibus continetur: qui non modò facere, sed ne cogitare quidem quic quam audebit, quod non audeat prædicare.*

18. *Vt quod turpe est, id quamuis occultetur, tamen honestum fieri nullo modo potest:*

ſic, quod honeſtum non eſt, id utile ut ſit, effici non poteſt: aduerſante & repugnante natura.

19. *Aut illud, quod utile uidetur, turpe ne ſit: aut, ſi turpe eſt, ne eſſe utile uideatur.*

20. *Quid intereſt, utrum ex homine ſe conuertat quis in belluam: an ſub hominis figura immanitatem gerat belluæ?*

21. *Honeſtate dirigenda utilitas eſt: & quidem ſic: ut hæc duo, uerbo inter ſe diſcrepare, re unum ſonare uideantur.*

22. *Quædam uidentur eſſe utilitates contra iuſticiam, ſimulatione prudentiæ: quam uult imitari malicia.*

An iſtud probant omnes?

Quemadmodũ Stoici dicunt, uideri quædam utilia, quæ non ſint: ſic Epicurei dicunt, uideri quædam honeſta, quæ non ſint. Addũt etiam, quicquid ualde utile ſit: id fieri honeſtum: etiamſi anteà non uideretur.

Aiunt enim: minima de malis, id eſt, ut turpiter potius, quàm calamitosè.

Quid ad iſta Stoici?

Quærunt an ſit ullum maius malum turpitudine? & negant, quicquã eſſe utile, quod nõ idem honeſtum: nec, quia utile, honeſtum eſſe:

eſſe: ſed quia honeſtum, utile. Item Honeſtatis cōparatione, ea quæ uideantur utilia, uinci.

Quís uſus eſt íſtius Ciceroníanæ ὑποθέσεως;

Ad eas quæſtiones dijudicandas facit, in quibus ex tempore (id eſt, circumſtantijs cōſiderandis) officium exquiritur.

Da exempla.

I. Nónne ſapiens, ſi fame ipſe conficiatur, abſtulerit cibum alteri homini, ad nullā rem utili? Non: niſi eo facto utilitati conſulat hominum, & humanæ ſocietati. Alioqui enim nemini uita ſua eſt utilior, quàm animi talis affectio, neminē ut uiolet cōmodi ſui gratia.

II. Licet́ ne bono uiro, ne ipſe frigore conficiatur, Phalarim ueſtitu ſpoliare? Non eſt contra naturam ſpoliare tyrannum (ſi poſſis) quem honeſtum eſt necare. Nam hoc omne genus peſtiferum atq; impium ex hominum cōmunitate exterminandum eſt.

CAVTIO.

Videndum, ne tyranni titulo uioletur legitimus magiſtratus: propter ſcelera et flagitia populi, ſeuerior, aut etiam ſæuior.

III. Recténe Brutus Collatino collegæ imperium abrogauit? In eo facto utilitas ualuit

luit propter honestatem: ut patriæ consuleretur.

IIII. Recténe Romulo uisum est utilius, solum, quàm cum altero regnare? Is uerò, fratre interempto, amisit & pietatem & humanitatem.

V. Amicitijs quantum est tribuendum? Quæ uidentur utilia, honores, diuitiæ, uoluptates, cæteraq; generis eiusdem, hæc amicitiæ nunquam anteponenda sunt. At neq; contra Rempublicam, neq; contra iusiurandum ac fidem, amici causa, uir bonus faciet: ne si iudex quidẽ erit de ipso amico. Religio enim & fides anteponenda est amicitiæ: Et ponit personam amici, qui induit iudicis.

Quomodo ergò rogandus est iudex?

Quæ salua fide facere posit. (Hîc notetur exemplum Damonis & Pythiæ.)

In honestorum & utilium comparatione quo utitur ordine Cicero?

Primùm in genere proponit: Speciem utilitatis honestati nunquam esse anteponendã. Deinde singulas uirtutes cum utilitate confert:

fert: ac potius negat, quicquā esse utile, quod uel iusticiæ, uel fortitudini, uel temperantiæ repugnet.

Quamobrem prudentiæ cum utilitate comparatio prætermittitur?

Quia, quicunque speciem utilitatis honestati, hoc est, emolumenta iusticiæ, fidei pecuniam, securitatem & ocium fortitudini, uoluptatem temperantiæ præferūt: in eo se prudentiæ munere fungi opinantur: eos uerò, qui secus faciunt, uecordes existimant. Sed est illa stulta calliditas, peruersè prudentiam imitans.

Quid ita?

Quia prudentia est locata in delectu bonorum & malorum. Malicia (quæ uult illa quidem se uideri prudentiam: sed abest ab ea, distatq; plurimùm) si omnia quæ turpia sunt, mala sunt: mala bonis anteponit. Nec ulla pernicies uitæ maior inueniri potest, quàm in malicia simulatio intelligentiæ. Vel: Hæc est illa pernicies, quod alios bonos, alios sapientes existimant.

Qua ratione Cicero in ſingularum uirtutum diſputatione progreditur?

Conſimili ferè modo. Nam & axiomata & ſententias ponit τοῦ δέοντος ϗ μὴ: *eaq́; & laudatis & improbatis exemplis & quæſtionibus illuſtrat: crebris adhibitis expolitionibus & repetitionibus.*

A` qua uirtute exorditur?

A` iuſticia: ad quam & ſuperiores quinq; quæſtiones pertinēt, quamq́; pauciſsimi colūt. Nam quotuſquiſq; reperietur: qui, impunitate & ignoratione omnium propoſita, abſtinere poſsit iniuria?

Quod uerò eſt iſtius improbitatis remedium?

Sicarij, uenefici, teſtamentarij non uerbis ſunt & diſputatione philoſophorum: ſed uinculis & carcere fatigandi.

Quid uerò de hominibus mediocribus ſtatuendum eſt?

Iis dubitationes eximendæ ſunt, oſtendenda ueritate.

VI. Quæro igitur, utiliter'ne Athenienſes Aeginetis pollices præcidendos eſſe decreuerunt? Nequaquam. Nihil enim quod crudele,

dele, utile eſt. Eſt enim hominũ naturæ (quã ſequi debemus) maximè inimica crudelitas.
VII. Sunt'ne uſu urbis prohibendi peregrini? Id uerò ſanè inhumanum eſt.

ANNOTATIO.

Ξενηλασίαν *lege ſanxit Lycurgus: ne licentia peregrinorum, Spartanæ diſciplinæ ſeueritas corrumperetur. Et quidem utile eſt, hoſpites & inquilinos ita tractare: ut meminerint, ſecundum Laconicum prouerbium:* οἴκοι τὰ μιλήσια.

VIII. Recténe Athenienſes Themiſtoclis conſilium de incendenda claſſe Laconica repudiarunt? Rectè, quod honeſtum non eſſet, id ne utile quidem putauerunt. Hoc enim ipſum utile putare, quod turpe ſit, calamitoſum eſt.

IX. Recténe frumentator Rhodius, naues plures ſequi reticuit? Antipater & Cicero damnant, Diogenes Babylonius abſoluit mercatorem: primùm, quatenus iure ciuili conſtitutum ſit, dici uitia oportere cenſens. cætera ſine inſidijs agi: &, quoniã uendat, uelle quàm optimè uendere. (Hæc ſententia eſt uitæ communi aptior.) Nam inter homines natura coniuncta ſocietas, non talis eſt, ut nihil

suum cuiusq; sit. Deinde, ubi iudicium emptoris est: ibi fraus emptoris quæ potest esse? Hecato item Rhodius, sapientis esse ait, nihil contra mores, leges, instituta facientem, habere rationem rei familiaris: quòd non solùm nobis diuites esse uelimus: sed liberis, propinquis, amicis, maximeq; Reipublicæ: cùm singulorum facultates & copiæ, diuitiæ sint ciuitatis.

Est'ne satis firma ista sententia?

Non semper potest habere locum. Nam quod, propter deprauationem consuetudinis, neq; more turpe habetur: neq; aut lege sancitur, aut iure ciuili: tamen naturæ lege sanctum est.

Quid inter leges & philosophiam interest?

Aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias. Leges, quatenus manu tenere possunt: Philosophi, quatenus ratione & intelligẽtia.

Quid inter ius ciuile & gentium interest?

Nos ueri iuris germanæq; iusticiæ solidam &

& expressam effigiem nullam tenemus: umbra & imaginibus utimur. Eas ipsas utinam sequeremur: feruntur enim ex optimis naturæ & ueritatis exemplis. Sed tamen, ius quod ciuile, non idem continuò gentium est: quod autem gentium, idem ciuile esse debet, cùm id à natura sit ductum: quæ iuris fons est. Et hoc secundum naturam est, neminem id agere, ut ex alterius prædetur inscitia.

X. Licet'ne ædium pestilentium uenditori, uitium id reticere?

Ad fidem bonam pertinet, notum esse emptori uitiū, quod nôrit uenditor: & quicquid esset in prædio uitij: id iurisconsulti statuerunt, si uenditor sciret, nisi nominatim dictum esset, præstari oportere. Titus item Claudius Centimalus eam rem, quam in uendenda domo non pronunciasset, emptori præstare coactus est: & Gratidianus, uenditis Oratæ ædibus, quæ illi seruiebant, est damnatus. Non enim placuerunt antiquis Romanis astuti. Nam inter bonos bene agier oportet & sine fraudatione, bonaq; fide. Ac Q. Scæuola fidei bonæ nomen existimabat manare latissimè: idq; uersari in tutelis, societatibus, fiducijs, mandatis, rebus emptis,

uenditis, conductis, locatis: quibus uitæ societas contineretur.

XI. Recténe idem Scæuola fundi uenditori addidit centum millia?

Nemo est qui hoc boni uiri fuisse neget: sapientis negant: quod nequicquam sapiat sapiens, qui ipse sibi prodesse nequeat: ut, Si minoris quàm potuisset, uendidisset.

Quíd cum fide bona pugnat?

Dolus malus: qui est, cùm est aliud simulatum, aliud actum (alij addendum censent: alterius circumscribendi causa.) Est autem ex omni uita simulatio dissimulatioq́; tollenda: & ex rebus contrahendis omne mendacium: ita, nec ut emat melius, nec ut uendat, quicquam simulabit aut dissimulabit uir bonus. Non licitatorem uenditor: nec qui contra se liceatur, emptor apponet: uterq́;, si ad eloquendum uenerit, non plus quàm semel eloquetur.

XII. Probandíne sunt Hortensius & Crassus, cùm falsum Testamentum defenderent: alieni facinoris munusculo non repudiato?

Minimè: cùm non modò non repellerent, sed etiam adiuuarent iniuriam.

XIII. Num uir bonus, si, ubi digitis concre

puerit

puerit (uel, digitorum percußione) poßit in locupletũ testamẽta irrepere, hac ui utatur?

Nequaquam. Mihi certè quidem etiam ueræ hæreditates nõ honestæ uidentur: si sunt maliciosis blandicijs officiorum, nõ ueritate, sed simulatione quæsitæ.

XIIII. Potest'ne excusari C. Marius, qui consuli suo: & Gratidianus, qui collegis iniuriam fecit: cùm uterq; eo pacto consulatum fuerit adeptus?

Causa peccandi non est, quamuis id, in quo uiolatur æquitas, non ita magnum: illud autem, quod ex eo paritur, permagnum uideatur. Neq; profectò quicquam minus cadit in uirum bonum, quàm mentiri emolumenti sui causa, criminari, præripere, fallere: aut quod ipse sciat, ignorare uelit eos, quorum interſit id scire.

Quem uirum bonum dicis?

Vir bonus est is, qui prodest quibus potest, nocet nemini: nisi laceßitus iniuria: quæ res innumerabilibus officijs & laudibus continetur.

XV. Probaríne potest insidiosa Pythij uenditio hortorum?

Si uituperandi sunt, qui reticuêrunt: quid

de isto existimandum est, qui orationis uanitatem adhibuerit? Sed si simulatio, & dissimulatio, & reticentia, dolus malus est: perpauca res sunt, in quibus non dolus iste malus uersetur: nec bonum uirum reperire facile fuerit.

Recte'ne Cæsar & Pompeius, per conspirationem quandam & largitiones, potentiam consecuti sunt?

Imò omnia recta & honesta neglexerunt.

At regnare in libera ciuitate est utile?

Potest, Dij immortales, cuiquam esse utilis legum & libertatis interitus, & fœdissimum ac teterrimũ parricidium patriæ? possunt'ne cuiquam esse utiles angores, solicitudines? diurni & nocturni metus? uita insidiarum periculorumq́ plenissima? Cuius autem uita ipsi potest utilis esse: cùm eius uitæ ea conditio sit: ut, qui illam eripuerit, in maxima & gratia futurus sit & gloria?

Recte'ne Fabricius transfugam ad Pyrrhum curauit reducendum?

Is & Senatus Romanus, armis cum Pyrrho,

rho, non uenenis certare uoluerunt: Et rectè quidem. Nam si gloriæ causa imperium expetendum est: scelus absit: in quo non potest esse gloria. Sin ipsæ opes expetuntur quoquo modo: potest'ne ulli imperio, (quod gloria debet fultum esse, & beneuolentia sociorum) utile esse odium & infamia? Rectè igitur improbatur L. Philippi, Senatus Romani, Catonis, Curionis auaricia.

Recense breuiter & Hecatonis quæstiones.

1. Non alenda familia in annonæ caritate: utilitate falsò putat officium dirigi magis quàm humanitate.

2. Vilis'ne serui, an generosi equi iactura sit facienda? Hîc aliò res familiaris uocat: aliò ducit humanitas.

3. Sapiens'ne stulto naufragij tabulam extorqueat? negat, quia sit iniurium.

4. Negat item Nauclero licere tabulam eripere naufrago.

5. Duorum æquè sapientium, si & cætera omnia paria sint, utri tabula naufragij retinenda? Sortem uult esse iudicem.

6. Patrem'ne accuset filius expilatorem

ærarij? Negat, quòd patriæ utile sit, pios esse liberos erga parentes.

7. Patre occupaturo tyrannidem, filius patriæ salutem anteponet saluti patris.

8. Adulterini nummi non soluendi sunt pro bonis.

9. Qui uinum fugiens uendit sciens, debet dicere.

10. In mancipio uendendo, dicenda sunt uitia animi: quamuis propter ea tacita, iure ciuili mancipium non redhibeatur.

11. Aurum orichalci precio non est accipiendum.

12. Pacta & promissa, quamuis nec ui, nec dolo malo facta, nō semper seruanda sunt: & uitæ atq; saluti consulendum, adhibito contra aquam intercutem medicamento, uel inuito medico.

13. Sapiens in foro non saltabit, ob locupletem hæreditatem: nisi id Reipublicæ fortè causa faciat.

14. Ne illa quidem promissa seruāda sunt, quæ non sunt ijs ipsis utilia, quibus illa promiseris.

15. Nec insano gladius, nec oppugnanti patriam pecunia deposita reddenda est. Respublica

blica enim debet esse charißima: & multa, quæ natura uidentur esse honesta: temporibus, & cõmutata utilitate, fiunt nõ honesta.

ANNOTATIO.

Vtilitas hæc, non ad priuatum emolumentum: sed ad Rempublicam, & ad eorum commodum, quibus consulendũ est, referri debet.

TERTIA COMPARATIO FORtitudinis & utilitatis.

Ἀξίωμα.

Perspicuum est, ea quæ timido animo, humili, demisso, fractoq; fiant, non esse utilia: quia sint flagitiosa, fœda, turpia.

Quid inde colligitur?

Vlyßi non modò cum hostibus, uerùm etiã cum fluctibus dimicare melius fuisse: quàm deserere consentientem Græciam ad bellum barbaris inferendum. Item M. Attilio Regulo potius ad crudelißimum hostem, & ad exquisita supplicia proficiscendũ fuisse: quàm iusiurandum uiolandum.

ANNOTATIO.

Seruare fidem, ad iustitiam potius, quàm ad fortitudinem pertinet. Sed tamẽ alia uir-

tus aliam defendit atq; adiuuat: atque adeò omnes inter ſeſe quaſi mutuas tradunt operas.

Quid eſt iuſiurandum?

Affirmatio religioſa, quaſi Deo teſte: ad fidem & iuſticiam pertinens: nec ullum uinculum ad aſtringendam fidem iureiurando maiores arctius eſſe uoluerunt.

At uerò ad exquiſita ſupplicia proficiſci graue eſt?

Dolore non modò non ſummum malum, ſed ne malum quidem eſſe, maxima autoritate philoſophi affirmant.

Sed quod per uim hoſtium actum erat, ratum'ne eſſe debuit?

Quaſi uerò forti uiro uis poſſit adhiberi: cùm magni animi & fortitudinis ſit proprium, nihil extimeſcere: omnia humana deſpicere: nihil, quod homini accidere poſſit, intolerandum putare. Cùm autem ſit ius etiam bellicum: fides iuriſiurandi ſæpè cum hoſte ſeruanda eſt.

Eſt'ne

Est'ne periurium, piratis pactum
pro capite precium non
afferre?

Negat Cicero: quòd cum prædonibus nec fides debeat, nec iusiurandum esse commune: cùm non sint ex perduellium numero definiti: sed communes hostes omnium. Alij uerò iurisiurandi religionem, & à Piratis pericula in posterum grauiora potius spectari oportere censent, quàm pecuniam.

At hoc commune est omnium philosophorum, Deum nunquam nec irasci, nec nocere. Vnde colligitur, periurij pœnam â Deo nullam esse metuendam?

Eâdem ratione per summam insaniam tollitur & diuina prouidentia. Verùm ira Dei, longè alia quàm humana, aliquo modo legum similis esse uidetur: quæ ad puniendum æquitate ducuntur, non iracundia. Et ab his periuri & malefici non læduntur: sed eas negligendo & uiolando, ipsi sibi, legibus inuitis, & quasi uicē eorū dolentibus, atroces pœnas accersunt. Qua de re multæ, & uetustissimorū poetarū, & sapiētissimorū hominū extant

extant ſententiæ: plurimaq́; & antiquarum & recentium hiſtoriarum horrẽda exempla punitæ perfidiæ & nunc extant, & extabunt ſuo tempore. A ſenatu autem Romano clariſsimi uiri nõnunquam uincti hoſtibus ſunt dediti: ut pax cum his, ſine autoritate publica facta, repudiaretur: ijs ipſis, qui debebantur, autoribus. Idem ſenatus decreuit, ut uete rator ille & callidus, qui reditu in caſtra libe ratum ſe eſſe iureiurando interpretabatur, uinctus ad Hannibalem duceretur. Fraus enim diſtringit, nõ diſſoluit periurium: & eſt ſtulta calliditas, peruersè prudentiam imitans. Nec octo millia militum ſenatus cenſuit redimenda: cùm id parua pecunia fieri poſſet: ut inſitum militibus eſſet, aut uincere, aut emori. Marcus item Pomponius Tribunuſplebis L. Manlio adoleſcenti iuſiurandum ui extortum ſeruauit.

QVARTA COMPARATIO TEMPERANTIÆ cum uoluptate.

Ἀξίωμα.

Non poteſt quicquam utile eſſe, quod ſit décori, moderationi, modeſtiæ, continentiæ, et talium uirtutum choro contrarium.

Quid

Quid uerò Cyrenaici & Epicurei, qui omne bonum in uoluptate posuerunt, de uirtute censent?

Ob eam rem esse laudandam, quòd sit efficiens uoluptatis. Quam sententiam Cicero, suo quodam consilio, oppugnat: quæ fortaße, distinctione uoluptatis adhibita, non defendi modò, sed etiam laudari poßet.

Quid uerò ait?

Est temperantia libidinum inimica: libidines autem consectatrices uoluptatis (inhonestæ.)

Quomodo suas uirtutes explicant Epicurei?

Primùm prudentiam introducunt, scientiam suppeditantem uoluptates, depellẽtem dolores. Deinde in fortitudine, quæ est dolorũ laborumq́; cõtemptio, tradunt rationem negligendæ mortis, perpetiendiq́; doloris. Tertiò de Temperantia dicunt, uoluptatis magnitudinem detractione doloris fieri.

ANNOTATIO.

(Hæc & dilucidius & copiosius, tum primo de Finibus, tum extrema Thusculana explicantur.)

Iusti-

Iusticia uacillat, uel iacet potius: omnesq́, eæ uirtutes, quæ in communitate cernuntur, & in societate generis humani: ut bonitas, liberalitas, comitas, amicitia: si hæ non per se expetantur: sed ad uoluptatem utilitatemúe referantur.

ANNOTATIO.

Cicero Epicureis uitæ honestæ, & synceræ amicitiæ laudem subinde tribuit: sed præcepta eorum, & inter sese, & cum factis eorum pugnare, contendit. Sed longè præstat minus acutum & minus methodicum esse: quàm acutissimè disserentem, flagitiosè & sceleratè uiuere.

Quid Callipho & Dinomachus de fine bonorum senserunt?

Cum honestate, inquit, uoluptatem, tanquam cum homine pecudem copulauerunt: cùm ea condimenti fortasse nonnihil, utilitatis certè nihil habeat.

Cur non recipit istam coniunctionem honestas: sed aspernatur & repellit?

Quia finis bonorum & malorum ex dissimilibus rebus misceri & temperari non potest: sed simplex esse debet.

At

At cùm homo quaſi duplex ſit animal, immortali animo, & caduco corpore cõſtans: quid ni & finis eius ſit duplex? præterea uirtus non tantùm pulcherrima eſt: ſed etiam optima & iucundiſsima.

Quia corpus deterius eſt animo: etiam incolumitas & uoluptas, finis corporis, cedit uirtuti: qui eſt animi finis.

Imò Beatitudo, quæ aut uoluptas quædam eſt, aut certè cum maxima uoluptate coniuncta, potius finis eſt, quàm ærumnoſa uirtus?

Rectè ſanè. Sed quia non niſi per ærumnoſam uirtutem (ut aſſentiar orationi tuæ) multoſq; labores & magna pericula felicitas homini contingere poteſt: philoſophi monere uoluerunt, qui beatus eſſe ſtudeat, ei uirtutem per omnem ætatem ſummo ſtudio conſtantiſſimeq; colendam eſſe: Quod idem & ſacræ literæ præceperunt: hac tamen declaratione addita: Quia & natura humana peccato corrupta & per ſe Deo inuiſa ſit: itemq; humana uirtus & languida & imperfecta;

&

& multa stulticia atque improbitate contaminata: nemini suis meritis, sed diuina clementia nitendum esse omnibus.

Hactenus τὰ διδασκαλικὰ ἢ παραινετικά: *quæ* τὴν διάνοιαν *maximè erudiunt. Sequuntur* ἔννοιαι προοιμιακαί τε καὶ ἐπιλογικαί: *quæ, cùm* τὴν ὁρμὴν *excitent,* προτρεπτικαὶ ἢ παρακλητικαὶ *rectè appellantur. Ad rem enim benè gerendam requiritur & uoluntas, quæ adhortando excitatur: & facultas, cuius non exigua pars est (in hoc quidem doctrinæ genere) uerum de rebus iudicium. Quod autē ad contractus attinet: quorum hic paucos attingit Cicero, extant eruditorum iurisconsultorum commentarij: è quibus cætera ita petēda sunt, ut alia scripta Platonis Xenophontis, Aristotelis, Ciceronis, Plutarchi, Senecæ: qui nō tantùm scholastici, sed & aulici & politici fuerunt, & in magnis rebus uersati, nō negligantur. Qui quidē (quod ad hanc philosophiæ partem spectat) ab homine mediocri doctrina, pellegi possunt omnes. Nicolaus autem Vigelius, eam Iurisprudentiæ methodum ac potius copiæ cornu instruxit: ut beatos censeam adolescentes, quibus eruditissimis illius lucubrationibus, uti frui, singulari Dei dono conces-*

concessum est. Discant inde theoriam in primis: qua percepta praxis etiam multò erit et expeditior & sanctior. Sed hæc (ne septa transiliamus) prætermittantur: Tu recita sententias Proœmij memorabiles.

I. *Pub. Scipio Aphricanus Maior dicere solitus est, nunquam se minus ociosum esse quàm cum ociosus: nec minus solum, quàm cum solus esset: hoc est. Et in ocio de negocio cogitare: & in solitudine secum loqui: ut neque cessaret unquam: & interdum colloquio alterius non egeret.*

II. *Homo studiosus, mentis agitatione, inuestigationeq́ earum rerum, quas cogitando (non, mandando literis) consequitur: nec ociosus, nec solus unquam est.*

III. *Qui non tantum roboris habet, ut cogitatione tacita, à solitudine abstrahatur: ad scribendi (legendi ue) operam, omne studiũ curamq́ conuertat.*

IIII. *Cùm tota Philosophia frugifera & fructuosa, nec ulla pars eius inculta ac deserta sit: tum nullus feracior in ea locus est, nec uberior, quàm de officijs: (ὁ περὶ τοῦ καθήκοντος) à quibus constanter honesteq́ uiuendi præcepta ducuntur.*

V. Duæ res, quæ languorem afferunt cæteris, magnos uiros & sapientes acuunt: ocium & solitudo.

VI. Nos, si minus imitatione tantam ingenij præstantiam consequi possumus: uoluntate certè proximè accedimus.

VII. Nostrum ocium negocij inopia, non requiescendi studio, constitutum est.

VIII. Sic ab hominibus doctis accepimus: non solùm ex malis eligere minima oportere: sed ẽt excerpere ex his ipsis, si quid insit boni.

IX. Et ocio fruor: nec languere patior eam solitudinem, quam mihi affert necessitas, nõ uoluntas.

X. Conducere arbitror, adolescentium aures, qui uitam honestam ingredi cogitant, uocibus de officijs undiq; circumsonare: nec eas (si fieri possit) quicquam aliud audire.

XI. In Academiam ad doctissimos uiros, cùm tanquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus: inanem redire turpissimũ est: dedecorantem & urbis autoritatem & magistrorum.

XII. Quantũ conniti animo potes, quantum labore contendere (si discendi labor potius est, quàm uoluptas) tantum fac efficias:

néue

néue committas, ut, cùm omnia suppeditata sint à parentibus & patronis, tute tibi defuisse uideâre.

Recita etiam Epilogi sententias.

I. O' beatum, qui gaudet scientia doctrinæ morũ: & tribuit bonis libris temporis quantum potest: potest autem quantum uult.

II. Adolescens persuadere sibi debet, se charissimum quidem suis esse: sed multò fore chariorem, si salutaribus monitis præceptisq́ lætabitur.

Sed cùm mali bonis longè plures sint: & naturæ prauitatem, ac deprauationẽ cõsuetudinis potius plerīq; sequantur: non'ne inanes sunt istæ præceptiones?

Vtiq; apud corrupta ingenia, à quibus cõtemnuntur & deridentur. Sin honestam indolem nec omninò deprauatã nactæ fuerint: uberrimos uirtutis fructus ferunt, cum honestissima oblectatione.

Atqui nonnulli dicunt ne uiui quidem posse ex præscripto philosophorum in tanta hominum improbitate?

Simonides olim dixit, Difficile esse, ui-

rum bonum esse: χαλεπὸν, ἐσθλὸν ἔμμεναι καὶ τετράγωνον ἄνευ ψόγου. Sed difficilia quæ pulchra. Ac omninò uitare improbos nullo quidẽ modo possumus: pro uirili tamẽ fugiẽdi sunt. In quos si incideris: non necesse est eorũ te improbitatem imitari: cauere insidias illorum, & iniurias propulsare, est uiri boni & sapientis.

Non ergò licet secundum prouerbium, κρητίζειν πρὸς κρῆτα;

Simulare & dißimulare tui defendendi causa, uidetur nec diuinis nec humanis uel legibus uel exemplis repugnare. Sed dolo malo ne ad improbos quidem lædendos, est utendum. Valeat in hoc genere illud Phocylidis: Gladio accingere, non ad faciendam cædem, sed ad propulsandam:

Τὸ ξίφος ἀμφιβάλου μὴ πρὸς φόνον. ἀλλ᾽ ἐς ἄμυναν.

Cùm ista quæ tu dicis, quæq; à Cicerone præcipiuntur, ad magistratus potissimùm, aut certè matura ætate uiros pertinere uideantur: cur adolescentulis ista discenda proponuntur?

Primùm. Quia (ut inquit Fabius) natura

ra tenacissimi sumus eorum, quæ pueri didicimus.

Deinde, ut adulta ætas in rebus gerendis uersari debet: sic in adolescentia discendū est, qua ratione uita θεοφιλῶς καὶ φιλανθρώπως, hoc est, ut & propiciū Deum habeas, & de humano genere bene merearis, sit transigenda.

Deniq; puer etiam, suo quodam modo, omnibus omnium uirtutum officijs fungi & potest & debet.

Quæ ergò est iusticia puerilis?

Sedulò discere elementa pietatis, orare Deum, honorem habere parētibus, magistris, magistratibus, omnibus deniq; uel necessitudine & beneuolentia aliqua coniunctis, uel uirtute, sapientia, autoritate præstantibus.

Prudentia uerò quæ?

His ipsis obtemperare, & ea nunc discere, quæ matura ætate usui futura sint.

Sed quomodò fortis esse potest puer?

An non fortitudinis alicuius est (neq; enim iam de miserijs pauperum studiosorum loquor) diurnos nocturnosq; studiorum labores, non æquo tantùm, sed magno etiā & alacri animo tolerare: neq; alium festum habere

diem, aut delectationem, quàm inuigilare, studijs honestißimis & utilißimis.

Etsi modestia peculiaris adolescentiæ uirtus habetur: tamen de ea quoq; aliquid dicito.

Multa hæc comprehendit: uerecundiam, pudicitiam in primis, & castas cogitationes, sermones, gestus, ipsa facta: obseruantiam aliorum, agnitionem inscientiæ & imbecillitatis suæ, omnis arrogantiæ odium, luxus in omni uictu & uultu contemptionem, frugalitatem, uigilantiam, tuendæ ualetudinis curam, & alia complura his similia. Hæc igitur qui, duce pietate, comite uirtute, obseruauerit: is et bona conscientia lætabitur: & Deũ propicium habebit: & omnium bonorum uirorum suffragijs inueniet res meliores: & magno atq; inuicto animo improborum insectationes contemnet: &, quicquid diuina uoluntate incommodorum obiectum fuerit, spe uitæ melioris, breui secuturæ, æqui boniq; faciet: in præsidio altißimi, tanquam in tranquillißimo portu, inter uarias tempestuosi huius pelagi procellas, acquiescet.

Τέλος ϗ δόξα Θεῷ.

D. BA-

D. BASILIVS IN PROVERB. Solomonis.

Ἡ ΦΡΟΝΗΣΙΣ

Μία τῶν γενικῶν ἀρετῶν ἐστὶ, καθ' ἣν ἐπιστήμονες γινόμεθα τῶν ἀγαθῶν καὶ κακῶν, καὶ οὐδετέρων, ἄνθρωποι.

ΤΡΙΠΛΟΥ͂Ν ἘΣΤῚ ΤῸ ΤΗ͂Σ Φρονήσεως ὄνομα.

α. Ἡ μέν τις ἐστι φυλακὴ τοῦ ἰδίου συμφέροντος, μετὰ τῆς τοῦ πλησίον ἐπιβουλῆς: οἷα ἡ τοῦ ὄφεως, τὴν κεφαλὴν ἑαυτοῦ συντηροῦντος.

β'. Ἡ δέ τις ἔοικεν εἶναι κακεντρέχεια τῶν τρόπων, ὀξέως τὸ ἴδιον λυσιτελὲς ἐξευρίσκουσα: καὶ συναρπάζουσα τοὺς ἀκεραιοτέρους: ὁποία ἡ τοῦ οἰκονόμου τῆς ἀδικίας.

γ'. Ἡ δ' ἀληθὴς φρόνησις, διάγνωσίς ἐστι τῶν ποιητέων, καὶ μὴ ποιητέων: ἧς ὁ κατακολουθῶν, οὐδέποτε μὲν τῶν τῆς ἀρετῆς ἔργων ἐκστήσεται: οὐδέ ποτε δὲ τῷ ὀλέθρῳ τῆς κακίας περιπαρήσεται.

F I N I S.

RERVM
IN HIS CICERONIANOrum de officijs librorum quæstionibus occurrentium breuis
INDEX.

A

B

C

Circum-

F

G

H

I

K

Laudes

L

M

N

O

deceat

FINIS.

DE CHRISTIANAE CLASSI DIVINITVS CONCESSA uictoria contra Turcos. Anno Domini M. D. LXXI. Nonis Octobris, carmina quædam ab

HIERONYMO VVOLfio conscripta.

NOBILI ET MAGNIFICO VIRO, OMNIBVS

uirtutis & sapientiæ ornamentis, & honorum insignibus illustri, D. Georgio Ilsungo, de Tratzberg, equiti aurato, utriusque Sueuiæ præsidi, Neoburgi ad Rhenum præfecto, Archiducum Austriæ & trium Cæsarum consiliario, HIERONYMVS VVOLFIVS *se commendat.*



PAMINONDAS ille, cum quo Thebanorũ gloria & nata esse & concidisse dicitur, in publica suæ ciuitatis lætitia & securitate, solus fertur sobrius & uigilans, solicite, ne quid Respublica detrimẽti caperet, prouidisse. Id exemplum sapientissimi ducis, & principis Græciæ uiri, Nobilis & magnifice uir, in hac exultatiõe Christianæ uictoriæ (de qua Deo opt. max. & IESV CHRISTO Seruatori nostro, immortalem gratiam & obedientiã debemus omnes) cum non displicere amplitudini tuæ animaduertissem: minus ueritus sum eidem lucubratiunculam

meam, non tam gratulabundam, quàm in posterum prospicientē, quamuis reie ctam ab alijs, ut ominosam fortassis, nimiumq; meticulosam, exhibere: cū præsertim Ennianum illud, à maximis uiris probari laudariq; sciam:

,, At Romanus
,, homo, tum quando res bene gesta est,
,, corde suo trepidat.

Adieci & alia eiusdē generis, superioribus annis, cum insom nia, tum, ut & nuper, molesta esset (aliàs enim uersus scribere, alijs rebus occupa tus, iampridem desij) quasi æstu quodā ingenij potius effusa, quàm cura & studio elaborata. Quæ si amplitudo tua tanti fecerit, quanti & sunt, & à me ipso æstimantur: aut rugoso piperi tunicas præbebunt: aut blattas & tineas pascēt. Sin aliud uisum fuerit: tui nominis auto ritate (quæ iure meritoq; summa est) & grauitate iudicij, contra obtrectatores defendentur. Augustæ, Bacchanalibus: quo tempore si uulgo hominū insanire licet: cur homini literato sua somnia, uel potius insomniam, chartis illinere non liceat? Anno

M. D. LXXII.

DE

DE CHR... CLASSIS AD ECHINADAS VIctoria. Ann... Octobris.



VO minus hæc meritis debetur gratia nostris,
(Quid mereamur enim nisi pestẽ, bella, famemq́?)
Hoc magis illustrata Dei clementia fulget.
Qui post multiplices terraq́ mariq́ pcellas:
Europæ qui post, Asiæ, Libyæq́ subactos
A Turcis populos: post tot circũflua Ponto
Regna: qb. raptis, heu, iã quotus angulꝰ orbis
Christicolis restat? diuini lumine uultus
Respexit miseros: & diri è faucibus Orci
Eripuit mirabiliter: uentisq́ secundis
Aspirãs nostris, depressit Barbara uela: (nos
Atq́ truces Scythiæ populos, rigidosq́ tyran-
Iã docuit superesse Deũ, qui perfida sceptra,
Et nimios fastus inclinet, deniq́ frãgat. (mꝰ
Franget enim: modò nos, q dicimur, esse ueli-
Christicolæ, firmi ueræ pietatis alumni,
Dissidijs positis: atq́ omni fraude remota,
Supplicibus uotis tendamus ad ætheris arcẽ.
Sin Euangeliũ: sin, sanctum, Ecclesia, nomẽ,

Victoriam diuinæ clementiæ acceptam esse referendã.

Nisi pœnitētiam egerimus: non diu nos hoc successu lætaturos.

Pr[illegible] [illegible] & ambitionis,
Et turpis lu[illegible] [illegible]dinis æstrum
(Vt[illegible] [illegible]re) perget haberi:
Si per[illegible] [illegible] per pectora regnet
Dogma Neoclidæ, fato qui clausit eodem
Diuinos homines, & fœdi abdomina porci:
Prædico, moneo, supplex rogo, tollite uanas
Spes, animos demittite, somnia falsa cauete.
Non debellatum: sunt uix exordia rerum
Maiorum, quæ magna putes, maiora sequentur
Fausta pijs, infausta malis. Victoria pendet:
Pendet, & ancipites huc illuc incitat alas.
Nec uict⁹ (mihi crede) fugit, uictórue triũphat:
Bella sed instaurat, classes parat, arma, uirosq;
Indomita uirtute feros: multasq; phalangum
Myriadas ciet, innumeri ditissimus auri,
Europæ atq; Asiæ domitor, Libyæq; Tyrannus.
Hunc tu contemnes hostem, uiolentia cuius
Nil tentare solet, quod non & deniq; frangat?
Quod lubitum rapit ille: suo raptumq; tuetur
Robore: progrediens tumefacti fluminis instar
Obuia quæq; trahit: neq; terminus obstitit illi
Hactenus. Hoc uno metitur limite regnum
Quò penetrare q̃at truculentus acinacis ardor.
Est' ne opus exẽplis? ueterũ monimẽta relinquo:
Nostra sed heu quàm multa uidet lacrymabilis ætas?

Me

Me puero cæpit septēplicis ostia Nili: (rat,
Inde Rhodū subigēs, mox Pānona rura perer
Mœnia Teutoniæ: uix est defensa Vienna
Numinis auxilio: Genuæ Chion eripit: ultrix
Hunc tamē excepit Melite uictricibus armis.
Sed non propterea sceleratis destitit ausis:
Pannonias repetens Sigettia mœnia uertit:
Vertit Iulæi quoq; ꝓpugnacula castri. (ratus
Quòd nisi mors, Solymāne, tuos aggressa pa-
Pressisset: nisi Danubius, diuinitus auctus,
Arma retardasset: quo nūc, Germania, uultu
Sidera spectares? Num libera colla teneres?
Non tua te uirtus, sed Christi gratia texit.
At q̃d agit Selymus? sequitur uestigia patris,
Perfidus atq; rapax. Non illi pocula Bacchi
Excutiūt rabiē, Superûm cōtemptor & æqui
Luxuriat: Satrapasq; suos in prælia mittit.
Ah nimium secure Leo: nimiumq; Dianæ
Cornibus ambiguæ confise: quid irrita mittis
Verba? nec ingentes terraq; mariq; maniplos
Prospiciens, quos hostis agit: classemq; uirosq;
Mittis? et arma trucis quæ belli postulat usus,
Suppeditas? cur nō data sūt alimēta? Leones
In pauidas damas subitò leporesq; fugaces
Degenerant, desunt ubi pabula. Viuere uento
Nemo potest: pugnare pōt sine robore nemo.

Vincere q̃d dicã? celebrésue parare triũphos?
Mauors absumit fortissima pectora: primis
Succedũt timidi: sed et horũ corpora Mauors
Pignorat hostilis: cui diuite copia cornu:
Cui prædæ spes ampla nouas sine fine cohortes
Suggerit. Inclusos quæ supplementa leuarũt?
Crescũt arma foris: tellus alimẽta ministrat
Oppugnatori: Neptunus plurima donat.
Arma domi pereũt, pereũt alimẽta, labascũt
Corda uirûm: populũ series diuturna malo-
Debilitat: cum nulla subest fiducia rerũ. (rũ
Ah Leo q̃d dormis? quid tãto cardine cessas?
Sed quis cũcta queat uenĩetia dãna uidere?
Fortior aut fatis fatalia damna cauere?
Maiorum peccatà luunt persæpe minores:
Quasq́; dolus congessit opes, uiolentia uastat.
Hæc data sors hominũ generi, ne ꝑpete cursu
Quæ petiere, ferãt. Abeunt redeũtq́; uicissim
Regna: uices uarias quæuis Respublica sentit:
Nunc hi, nunc alij florent uictricibus armis.
Nũc quoq; te tua fata, Leo, stimulare iacentẽ
Incipiunt, caudæq́; pilos euellere. Centum
Post annos cæpere, quibus te munere largo
Insula, diues opum uariarum, pauit hiantẽ.
Forsan ut experrectus, & acri percitus ira,
Et raptæ prædæ furijs agitatus, in hostem

Vngue

Vngue ferox, & dente ruas: miserosq; cliẽtes
Eripias letho, uictor spoliesq; tyrannum:
Vt quõdã, tumidi ad Byzanti mœnia uersus,
Teutonicis armis, & milite cinctus Ibero.
Interea sed enim facies quàm perdita rerũ?
Victa Cypr⁹ gemit: et Nicosia capta fatetur,
Nec Famagosta negat, non propugnacula, turres,
Nõ arces, portus, tormenta repellere Turcos.
Militis et uirtus, ducis & constantia frustrà
Nititur: inclusos ferrum flammaq; famesq;,
Aggeribus iactis excelso culmine, pellunt.
Nil mortalis homo tanto munimine cingit:
Nõ unquam tantas educit ad æthera moles:
Non tot subsidijs, alacri tam milite firmat:
Quòd nõ uis hominũ maior, nõ tẽporis ordo,
Frangat, et atra fames, maturaq; nũinis ira.
At nos securi nimium Veneremq; gulamq;
Et sectamur opes, & inanis nomen honoris.
Quattuor hæc sibi prima putant pleriq;: nec astra
Nec curãt Phlegethonta, nec acrẽ iudicis ur-(nam,
Omnia deleri sperantes crimina letho, (ras.
Cùm semel in tenues animam difflauerit au-
Sed ne decipiant, te uanæ somnia mentis,
Sæpius attẽtus meditare prophetica scripta,

Quæ prauis peracerba uiris mala multa minantur,
Quæ mala nulla dies, nullum definiat æuum.
Sed neq; præsentes cessant in limine pœnæ,
Opprimit incautos uiolentia Barbara ciues:
Turc⁹ in arma ruit: dũ nobis pocula Bacchi,
Extructæ mensæ, Tyrio de murice uestis
Aureoli torques, digitis radiante pyropo,
Et Veneris famulæ celsiq; palatia tecti
Et pompos⁹ equus, rigidis sed inutilis armis
Somnus iners, rixǽ ue leues, ludíue proterui,
Plurima præterea fallacia gaudia tempus
Turpiter absumunt: capimus præsentia læti:
Securi nimium, minimeq; futura timemus.
" *Inuadunt urbem uino somnoq; sepultam*
Andinus uates cecinit. Sapiẽtia friget (theus,
Sera Phrygũ. Ne sis Epimetheus, esto Prome-
Quisqs es. Haud ullo sæuit discrimine Turc⁹.
Nõ genere & prauis titulóue mouetur inani:
Hæc spernit, ridet, calcat pede uictor acerbo,
Ferro bella gerit, ferro uincendus & ipse.
Hæc tu præclarè cum cernas, maxime Cæsar,
Exigis insomnes; suspectans sidera, noctes,
Sollicitosq; dies. Nam te fatalia terrent
Tempora, non intenta suæ malesana saluti.
Sed confide Deo, teq; & tua regna tuenti.

Ha-

Hactenus. Is posthac tueatur in omnia secla.
Hæc eadem proceres pia sollicitudo fatigat:
Quos non ambitio leuis, aut malesuada uolu
Allicit, aut auri sitis exitiosa gubernat: (ptas
Sed qui Cæsareamq́; simul patriæq́; salutem
Assiduis curis, uotisq́; perennibus optant.
Hoc agitāt animis: Legiones semper alantur
Hostibus oppositæ: ne perfidus omnia prædo
Audeat, & miseros agitet uiolenter agrestes:
Quale fuere nigræ, Matthia rege, cohortes,
Præsidiū: ueterana man⁹: cui castra domusq́;
Semper idem fuit: & non dulcia pocla fuere
Plus, q̄ uictrici Turcos prosternere dextra.
Cætera ne memorē, ꝓhibet pudor. O male gra
Et nimiū sauos, q sic sua mœnia cōdūt. (tos
Absit ut ista luant aliquando piacla nepotes.
Sparta uiris inuicta fuit. qd mœnia possunt?
Nil castella iuuant. Castellis fidere stultū est.
Armatas acies, classesq́; opponite Turcis:
Milite perpetuo firmata colonia Turcos,
Perpetuos hostes, huc illuc missa, repellat.
Adde preces: supplex ueniā pete: Numinis irā
Flecte gemens, lachrymans. clades sunt fla-
gra malorum,
Oppugnat Deus ipse malos, q nomina iactāt
Magna Dei: sed digna Deo præstare loquiue

Nō curāt. Hinc crebra fauet uictoria Turcis.
Interea stertit leue uulgus: hirundine uisa,
Non supesse gelu putat: et sua crimina fraudi
Non putat esse sibi. Fateor, sumus improba
turba,
Inquit, & officio nō fungimur. Esto: nec hostis
Est melior nobis. Malus est, malus hostis &
ipse.
Impius, & blasphemus et est sentina malorū.
Est (fateor) pœnasq; dabit: sed tēpore certo.
Non caritura suo tandē est ultore tyrannis
Impia, flagitiosa, rapax, scelerata, nefanda:
Pœnas afflictæ uastatrix bellua terræ:
Bellua quæ Christum tentat detrudere cœlo:
Bellua totius quæ ius sibi uēdicat orbis: (rūt.
Est pensura graues, quas cætera regna dede-
Sed quis prædicat Danielo pectore tempus
Exitij? Quis non metuat, ne ferrea uirga
Vlterius tendēs malè mulctet terga malorū?
Qui lingua iactant pietatem, pector. cælant
Dæmonis afflatus: & nil nisi iurgia quærūt?
Ambitionis, auaritiæ, liuoris acerbi,
Et luxus famuli? Cecinit uerissima quædam
Hiltenius uates, tenebroso carcere clausus,
Illustrante Deo tenebras & uincla leuante
Aetheriæ mentis. Quæ restant, mitis Iesu,

[margin note:] ...ines Hilten, ...nacensis mo...chus fatidi... anno 1600. ...rcos in Ita... & Germa... dominatu... prædixit.

Verte

Verte retrò: noſtras prſum ſed uertito mẽtes.
Dixit enim poſt ſecula ſex completa decemq́;
(Heu meminiſſe horrent animiq́; & lingua refugit.)
Venturum excidium Latio, nimiumq́; feroci
Theutoniæ: cuius ſibi quiuis regulus altum Tyrannica imperia.
Vendicat imperium: diraq́; libidine cæcus
Se putat eſſe Deum: miſeriq́; cruore clientis
Paſcitur: & libitũ licitũ putat: & ſua ſpectat
Commoda: ſecurus quæ ſit Reſpublica: ferro
Seu pereant populi, ſeu frigore, peſte, fameq́;:
Dummodo prærupto, ueluti Polyphemus, in antro
Tetra Maroneo perfundat guttura Baccho:
Alliſosq́; petræ ſocios patientis Vlyſſei
Dente fero laniet, ſæuaq́; recondat in aluo.
O` uos qui geritis diademata, ſceptra, necisq́;
Et uitæ domini, fortunarumq́; potentes:
Non intelligitis ueſtræ primordia ſortis?
Non intelligitis moriendum deniq; uobis?
Oeconomos uos eſſe Dei neſcitis? iniqui
Diſpenſatores grauiori clade prementur.
Sed fruſtra ſurdis hæc auribus omnia cantes:
Aſſentatrices harpyæ cuncta gubernant:
Nil ſacra nilq́; pfana mouẽt decreta ſupbos,
Perniciẽ qui ſponte petũt; iuga Turcica ſpõte
Qui

Qui subeunt. Heu q̃ spe falsa credulus error
Et populos proceresq; rapis: sunt dura ꝑfecto
Quæ ferimus, q̃ ferre diu quis credere possit?
Est graue seruitiũ (fateor) quoq; Christidos oræ:
Sunt pauci quos relligio, bonitas' ue, fidésue
Sollicitet, proceres. Rapiũt sacra atq; ꝓfana:
Ad pompã sunt qui referant luxũq; superbũ,
Quæ rapuere suis populis trepidãte medulla
Ossibus extracta, pueri miseræq; puellæ,
E patria pellente fame, per compita passim
Mendicant laceri, nudi: mala multa docente
Pauperie. Sed quis miserorũ sorte mouetur?
Quisq; suos inopes pagus nutriret honestè,
Portio si de redditibus sacra parua iuuaret.
Expulimus monachos. Harpyæ nil meliores,
Peiores potius, nunc successère. Sed ipsas
Inter sacra manus dilapsa pecunia nullas
Addit opes, secũq; rapit bene parta. Quid aũt
Hi respondebũt, Christo exercente tribunal?
Quid qui bella mouent? quiq; armis omnia uastant,
Cõtra iusq; datamq; fidẽ? nec fœdera seruãt?
Quid qui plus ceruos, damas, aprosq; tuẽtur
Agricolis? Depast9 ager fert pauca: necesse est
Soluere quod petitur. Multò meliore uagãtes
Condi-

Conditione feras uideas, q̃ rustica turba est.
Et tamẽ agricolæ uictũ cultúmq; minıstrãt,
Quîs sine uel proceres ıpsi cogantur arare,
Vel sine subsidijs inopem traducere uitam.
O` proceres, uos quanta tenet uæsania fastus?
Euıgılate semel: delyria ponite falsi (sum
Nominis, atq; in uos descendite: pectora sur-
Vertite: cælesti dominus uos cernit ab arce.
Non impunè feres quisquis uiolaueris æquũ.
Sed quid agis mea Musa? quid alta cacumi-
na pulsas?
Quídue ın eos scribis qui te pscribere possũt?
Hei demens qd agis? qd, mox pitura, Gigãtes
Aetnæos memoras? neq; dicis crimina uulgi?
Vulgi non alijs meriti seruire patronis? **Vulgi petulantia.**
Nũ pietas? nũ sancta fides? nũ uita modesta
Cõmẽdat populũ? Quid narrẽ cætera? tædet
Plurib. hæc agitare. Videt fax aurea Phœbi,
Cernunt nocturnæ fædissıma plurima Lunæ.
Auertere oculos superi ne talia spectent.
Interea gemit atq; fremit mutabile uulgus,
Sed sua nec noscıt, nec purgat crimina fletu:
Nec iuga formidat satis immanissima Turci,
Sat quıa non norunt: præsentia regna perosi
Dura quidẽ nimiũ, nimiúmq; rapacia, iuris
Atq; parum fidei curantia. Vísq; dolúsq;
Sceptra

Sceptra tenent, miserosq; premunt sine fine
clientes.
Nō fas, ius, pietasq; ualet: ualet una uolūtas
Immitis domini, cui ius uitæq; necisq;.
Qualiacunq; tamē sint hæc, patientia uincit
Duriciem tamen, & libertas paruula restat.
Sed multò grauiora ferenda tyrānide Turca
Instāt. Nā primùm rapiēt quæcunq; libebūt,
Nil ꝑpriū populo: tua sunt q̄ nō rapit hostis,
(Hostis enim dominus) quem numinis instar
adores
Est opus: ut miseræ concedat paucula uitæ.
Inde petit decimas hominū. Lectissima pu-
Abripitur: Mahometanæ deliria sectæ (bes
Discit: & abscissa mutat baptismata pelle:
Inq; suos ferrum stringit fratresq; patresq;.
Hæ sunt primitiæ, quas Turcus dedicat orco,
Ereptas Christo, quem blasphemare iubētur.
Proh scelus, & nulla facinus ratione piandū.
Præ tali uita non mors optabilis esset?
Cætera quæ tollunt animos ad sidera, tollit
Fœda superstitio, Stygias demergit in undas.
Vera sed ut maneat pietas: quæ bella gerenda
Sunt uictis? obeunda statim mādāte tyrāno:
In patriam stringunt ferrū. Sin forte recuses
Christicolas sæuo prosternere Marte: paratus
Interitus:

nteritus: Mors à tergo eſt & fronte petenda.
Nam noſtris armis, & noſtro milite (quis nõ
Illachrymet?) ſuperamur, ad ultima quæq;
redacti.
Quãuis ſint igitur non lenia ſceptra potentũ
Chriſticolûm: quamuis non, ut decet, omnia
curent:
Sunt leuiora tamẽ, quàm cõſcelerata tyrãnis
Sacrilegis inflata ſacris, & numine uano:
Fœda libidinibus, uaſtatrix bellua mundi.
Sed nos impietas, rixandi fœda libido,
Ebrietas, neglecta fides, ſceleratáq; uita
His ſubigunt pœnis. Sed quis non talia ridet?
Nũc Epicurus enim toto dominatur in orbe,
Craſſior antiquo: cui magnã ſobria laudem
Vita tulit, quem certa fides ſociauit amicis.
His eſt nulla fides, ſunt uanũ nomen amici:
Pocula plena uigent, & ſtupra nefanda pro-
bantur, (uiciſſim.
Quæ ut tolerare queant, rapiunt, fraudãtq;
Quis non in ſyluis, inter ſpelæa ferarum
Degere, q̃ tales homines perferre præoptet?
Non fera ſpectatur totum tam dira per orbẽ,
Non Leo, non tigris, draco nec criſtatus: in
undis
Nec cæti ingentes, qui per tot funera uiuãt:

 Quot

Quot rabies tantùm unius dat p̃dita regn.
Quæ simili cogit rabie sæuire ministros.
Ex homine exueris hominem nisi: grata tyranno
Nulla facis: stupris & cædibus omnia cõplet,
Quis nõ extillet lacrymis, ut Tantalis olim?
Cui non dissiliat cor, in hæc exempla tuenti?
Quàm res suauis homo, cum uero nomine fertur?
Sanctius hoc nullum, nullum diuinius orbis
Hoc animal gẽuit. sed magnã accẽde lucernã
Diogenes, medio cum sol uersatur olympo,
Vt cernas hominem. Porcos, toruosq; leones,
Et uapidas uulpes, & fœdos cercopithecos
Aspicias passim. quin (si modò dicere fas est.)
Nullos inferni iam claudit regia Ditis
Dæmonas: in terris humana fronte uagãtur.
Omnia q̃d superat miracula, Christus Iesus,
Cũ De⁹ esset, homo factus, reserauit Olympũ,
Atq; Deos homines fecit pietatis amantes:
Ast homines ultrò tendunt ad Tartara, facti
Dæmones, immemoresq; Dei, p̃priæq; salutis.
Desine musa, tuo fueris defuncta labore,
Adhortatio ad agendam pœnitentiam. *Si moneas proceres, si doctos, siq; profanos,*
Vt se cognoscãt, & iam sua crimina damnẽt:
Et mutent mores prauos, sumãtq; probatos:

Vera

a mente colāt Christum, uerumq; bonumq;:
Sobrietas uigeat, iaceat malesuada uoluptas:
Fraternus renouetur amor. simulatio cedat:
Vis absit: ius sceptra gerat: dolus omnis abesto.
Hæc uos qui populum regitis sermone diserto,
Inculcate uiris, pueris, tenerisq; puellis:
Exagitate malos diris ultricibus: omni
Tempore cum uitijs bellum geritote. necesse est
Euelli sentes rigidos, ut semina spargas,
Vnde seges ueniat, quæ compleat horrea cœli.
Vulpina templum lutulentum uerrere cauda
Væsanus labor est: rastris euertite sordes:
Hulcera quæ poscunt ignes ferrumq;, uenenis
Lenibus, aut magico quis pellere carmine tētet?
Dogmata uera quidē tradēda, notāda profana.
Sed quid proficiet, sine sanctis moribus, omnis
Cognitio? Num uera fides, odisse rebelles,
Quos uitijs superes? supera pietate fideq;
Quos damnas. precibusq; iuua, cœlestis ouilis
Septa repleturos: animum depone cruentum:
In tua ne sæui crudelis uiscera. Turcus
Hostis adest crudelis, & in ceruicibus hæret.
Hūc remoue. qd bella moues caritura triūphis?
Quæ tibi, quæq; tuis funus crudele minantur?
Hæc tibi prædico fidus Germania uates:
Hæc Italos moneo: hæc Gallos: hæc flumen Iberū:

Concionatores acriter insectari uitia oportere.

Adhortatio ad concordiam.

Emendationē uitę melior fortuna sequetur.

Hæc & Sarmatiæ gentes, Arctoaq; regna:
Hæc moneo toto diuisos orbe Britannos:
Quis si paruerint monitis, si pectore feruent:
Mente repurgata, uacuaq; libidinis æstro,
Si teneant, altè spectantes, infera temnant:
Tum demum nobis erit hæc uictoria laudi:
Tum demū Turcis erit hæc uictoria fraudi:
Tum DEVS Hiltenij uertet præsagia uatis
In nostros hostes: ut quondam tristis Ionæ
Vocibus emendata pijs stetit inclyta Ninus.

Imploratio diuinæ opis contra Turcicas minas.

Quas spirare minas? quæ nō tormēta parare
Fama refert Selymū? Magno exarsere furore
Pectora Turcorū. Fera saucia, sparsa cruore,
Sæuior insurgit. Tu nos, Deus alme, tuere:
Consilijs obsta sceleratis: tela retorque (psos
Victor in autores: mala quæ meditātur, in i-
Verte, cadant titubāte gradu, uertigine cæci,
In foueas, quas Christicolis posuère nefandi.
Fac semper doleant, te, quem spreuere, nihilq;
Esse putant, superesse Deum: quo fidimus uno
Grex tenuis: quem sæua luporum guttura ca
ptant.
At tua dextra potens nos ducet in atria cœli.
Nā quid tantoperè interituri cōmoda mūdi
Fortè breui molimur? & ad cœleste tribunal
Attonitas mētes nō uertimꝰ? Est breue tēpꝰ,

Gloria

...oria uana: leuis, permistáq; felle uoluptas,
Quã præstat tellus: Quãuis tibi pareat orbis
Quà Zephyri, Boreasq; ruunt, Eurusq; No-
tusq;.
Est linquenda breui tellus cum diuite gaza:
Est ratio reddenda Deo. Quò plura talenta Ratio reddenda Deo.
Ceperis, hoc maior grauiórq;. Memento mini
ster, *(acta.*
Quisquis es, esse Dei: tua fac Deus approbet
Hoc stabis cẽsore, cadésue. Sed optimus autor
Seruatórq; hominum, sine quo nil possumus
omnes,
Faxit uti stemus, Christo rectore beati.
Semper diuini speculantes lumina uultus.
Ô, arcana Dei quanta merguntur abysso?
Aeternæ maiestatis caligine quanta
Lux nũc circumfusa latet, neq; cernitur ulli
Corporis in tenebris? Nunc gloria uera piorũ
Sub cruce pressa iacet. Quid Mustapha sæue
superbis? *(phas*
Quid Bragadini colla premis? qd pelle triũ-
Exanimi? Quid ceu uicto conuicia Christo,
Dicis? & insultas melioribus? Inclytus heros
Fortiter occubuit, clarus pietate fidéq;.
At belli quæ causa tibi fuit? Ardor auari
Pectoris, & prædæ sceleratæ dira cupido.

 Fœdera

Fœdera spreta, fides uiolata, nefanda perac.
Cuncta tibi. qualē pariant tibi turpia laudē
Facta? Quid exagitas, quos non tua dextera uicit
Deditione quidem facta, tua perfida lingua
Occidit miseros. Exulta, cōnspue cœlos,
Ore truci. Tumor ille breui (nisi terra polusq́;
Conciderint) ceu bulla cadet. Tibi Tartara sedem
Prabebunt. Christo tu iudice (quem modò spernis)
Præmia digna feres, nigri Phlegethontis in æstu.
At tua quos rabies scelerato perdidit ausu
Vera fides est in sedes missura beatas,
Absterſis lachrymis æterna pace fruentes.
Non oculus uidit, non audiȷt auris: in altos
Pectoris haud penetrāt felicia dona recessus:
Quæ Deus instruxit se depereuntibus, antè
Quàm iaceret uasti fundamina præscius orbis.
Δοξολογία. *Gloria sit tibi sancte pater, qui cūcta creasti.*
Cunctaq́; conseruas: Tibi gloria dulcis Iesu,
Per quē parta salus: duce quo referatur Olympus:
Spiritus alme tibi sit gloria lausq́; perennis.

EX

EX EPILOGO BYZANTINÆ HISTORIÆ.

QVi legis historias Orientis, & aspera fata
Christicolûm, mollesq́ animos, et pfida facta.
Regnáq discordi uariè lacerata tumultu
(Ob quæ facta Deus iustas commotus in iras,
Cōtēptos primū populos, sine nomine uulgus
Armauit, cum Turcus atrox uiolenta potēti
Sceptra manu rapuit: Solymos populatus, & urbem,
Imperij sedem, tandem deuicit, habetq́:
Vnde uelut specula ex alta pspectat in orbē,
Europæ atq Asiæ domitor, Libyæq́ tyrannus,
Gentib. interitū minitās, nisi iussa facessāt.)
Regnorum perpende uices, causasq́ nefandi
Exitij: & uotis supplex auerte ruinas
Nostro impendentes capiti: nisi mitior obstet
Numinis offensi uitijs moderatio nostris.
An non flagitijs honor est, infamia quondā
(Si nō suppliciū) quæ nigra coërcuit? An non
Iudæus nobis melior, non Turcus & Indus?
Quæ nō impietas, qđ nō scelus urget iniquos
Christicolûm populos? quæ non periuria regnant?
Si non ista Deum curare aut cernere credis

Exemplo Constantinopolitanę ruinę cautiores nos fieri oportere.

Corruptio nostri seculi.

Prouidentiæ diuinæ assertio.

Crimina, quòd subito nō comprimat illa furore,
Falleris. Expectat, nū te mens cōscia pungens
Excitet, ut uotis ueniam factisq́; precere.
Sin rigida ceruice tumes adamantinus, iras
Numinis aspernatus, agente libidinis œstro
Quodlibet in facinus: tibi pœna parata propinquat.
At ridere Deum forsan mortalia censes:
Nec curare quid inferno ludatur in orbe,
Et superis magni tribuis fastidia regis:
Quem nil parua mouent, quem nil fex infima plebis
Sollicitat, siue illa fame, seu peste laboret,
Seu gladio pereat, uasto seu gurgite mersa
Virtutē uitiū' ue colat: modò serua tremensq́;
Pareat ad nutū, modò munera iussa capessēs
Obsequio uigili colat alti culmina sceptri:

Periphrasis Domitiani.

Sceptri, quale tulit Nero flagitiosus, & is qui
Se dici Dominumq́; Deumq́; coëgit, atroci
Caluitio pariter muscisq́; uirisq́; timendus.
Nempè dedit terras mortalibus: altus Olym

Epicureæ opinionis pictura.

Iupiter illustri residēs, sua gaudia curat. (po
Quid moueāt illum ludibria terrea? uermes
Abiectos an respiciat? num somnia uana
Mētis, et irrita uota suas admittat ad aures?
Qui præstāt opibus, sunt inclyta numina terræ:

Viribus

Viribus excellens imo dominatur in orbe.
Hunc colat, hunc metuat supplex, hunc pronus adoret,
Pareat imperio, seu iusta, iniustáue mandet:
Qui sibi consultum cupiet: qui tempora uitæ
Longa petet. Simulac mors atra subegerit artus,
Actũ erit. Ah demẽs, præsentia gaudia carpe:
Dũ potes, his fruitor. Captent absentia stulti,
Vana melãcholici quos pectora plena furoris
Exagitãt: qui monstra sibi fallacia fingunt:
Qui sperant cælos, quiq; infera regna tremiscunt:
Vecordes qui non hæc obuia cõmoda captent:
Qui mala multa ferãt nullo uirtutis honore:
Spe dubia, stultáue magis, sup æthera tendãt
Post obitũ: neq; uiuẽtes quò scãdere possunt.
Hæc est, hæc magni sapientia pectoris, isthæc
Scire: sequi, uirtus: monachorum cætera fraudes.
Hæc Epicurus ait, quo non præstãtior alter
Soluere corda metu, uitámq; beare perennẽ:
Inguinis & capitis discrimina tollere doctus:
Quo nõ discipulis quisquam fuit auctior ullo
Tempore. Stultorum quia semper maxima turba est,

In uenerē præceps, pigriq́; abdomina uentri

Recta ratio Epicureo dogmati opponenda.

Sed quid ait Ratio, sua cū penetralia lustrat?
Mens quid ait, quoties cœlestia tēpla petiuit,
Sensibus abiectis, superûm ad cōmercia tendens?
Hæc quæ non capiat porcus, sed rideat amēs:
Hæc quæ nemo neget sano durante cerebro:
Hæc quæ quisq; probet fatis melioribus ortus:
Quæq́; docēt prima uates ab origine mundi:
Hæc quæ Relligio per plurima secla probauit:
Maxima quæq; cohors fuso testata cruore:
Per miracla Deus quæq́; ipse ingentia sanxit.
Num testes quæris locupletes his magis ullos?
Non oculi uideat faber? an non audiat, auris
Cuius opus? mēs cuius opus, nō sentiat? absit:
Maiestate sua totum qui compleat orbem?
Ipse suū contemnat opus, propriumq́; laborē?
Num iustus, pius & sanctus probet improba facta?
Et pia, non ulla tandem mercede rependat?
Nū socors Deus est, uel iniqua mēte tyrānus?
Scilicet insanæ sunt isthæc somnia mentis.
Nū stupor in superos tantus cadit, atq; libido
Tam fera? Si nō sacra mouēt oracula pectus,
Quæ uigilare Deum, dare præmia digna, nocentes

Plectere

Plectere testantur, ueræ discrimine lancis:
Sobrius at proprij penetralia pectoris intra,
Præditus an bruto sis tantum corpore? bruti,
Corporis an famulam dederint tibi numina mentem?
Suspice flammantis radiantia sydera cœli,
An te fortè tuæ poßint conuincere sortis,
In medio pecudumq; sitæ, medioq; Deorum:
An te fortè queant tetro releuare ueterno.
Sin tua mens demersa iacet caligine cæca,
Nec potis est uero per se discernere falsum:
Auribus historias saltem uigilantibus hauri, Qui rationes non perspiciunt, historijs erudiri debẽt.
Quæ doceāt, tardè quas mittūt numina pœnas
Supplicij grauitate pari pēsare, scelesta
Funditus euersa post impia crimina gente:
Idq; ubi cognoris, fortunæ fidere noli,
Neu cōtemne Deū, neu uana superbia pectus
Inflet, ut esse putes licitū, quodcunq; libebit,
Fortunámue putes stabili pede figere gressus.
Aspice de quanto Byzantia culmine regna
Diruta cōciderint: ut Barbarꝰ omnia uastet,
Corporibus pestemq; ferens, animisq; piorū.
Nō iucūda quidē præbet spectacula codex:
Tot mala commemorans, tot & impia facta recensens.
Ast exempla iuuant: similes auertere clades

Exemplis monito licitum tibi: supplice uoce
Adhortatio ad pœnitentiam. *Pacem orato Dei: polluta crimina uitæ*
Prouidus emenda, quò tutum degere tempus
In terris liceat: pateátq; ut ad astra receptus.
Sic tibi cum fructu nō irrita scripta legētur:
Sic operæ precium facies, nec inanis abibis,
Sed prudensq; piusq; simul moderabere uitā,
Auctior haud tenui gaza, quā Fuggarus heros
Sumptib⁹ haud paruis Antonius, orbe petitā
Barbarico, studijs melioribus obtulit: atq;
Esse sui uoluit monimentum posteritati
In terris. Nanq; ipse senex tēpla alta petiuit
Aetheris: exemplū patris at generosa ꝓpago
Marcus, Ioannes, Hieronymus atq; Iacobus.
Persequitur: similisq; petens fastigia laudis,
Pieridum cultrix, fatis plaudentibus, auctū
Ornat opus, totumq; iubet uolitare per orbē.

COMITI SERINO ET PRAEsidio Sigettio. Anno *1566.*

INuicti heroes, memorandi laude perenni:
Ah ualuisse nihil uota precesq; meas?
Scilicet hoc nostrum scelus & dementia fecit.
Vestra quidem uirtus inuiolata manet.
Corpora fessa iacent: sed fortia corda triumphant:

Nul-

Nulláq; de uobis Turca trophæa tulit.
Vestra fides nõ fracta minis, nõ uicta furore
Hostis, ad extremum perstitit usq; diem.
Mortali de stirpe satos cecidisse dolemus:
Sic tamen est ingens occubuisse decus.
At nos Christicolæ uel inani tempora luxu
Perdimus: & paucos publica dãna mouẽt:
Vel malè ciuili maculam⁹ sanguine dextras:
Sanguine Threicio quas rubuisse decet.
Fatalis stupor & furor impia pectora uersat:
Vota licet maneant, spes tamẽ ægra fugit.

PRAESIDIO IVLAEO.

HEi miseri, quî uos decepit pfidus hostis?
Seruat, cum libuit, quã dedit ille fidẽ.
Bis miseri, quòd degeneres cecidistis inulti
More boũ: nec uos laus'ue decus'ue manẽt.
Præstiterat seruasse fidem, uitaq; profusa
Sanguine Threicio triste rigasse solum.
At uos Christicolæ memores ne fidite Turcis:
Cædere certa salus, cedere nulla fides.
Mors et in ignauos torquet sua spicula: fortes
Pro patria & uera relligione cadunt.
Non obitus fraudi, sed erit uictoria laudi:
Non Deus hanc nobis, crimina nostra negant.

IN GERMANIAE ſtuporem.

IAm tua res agitur: paries tu⁹ ardet: ab al-
Culmine tota dom⁹ collabefacta ruit. (to
Sigettum periit: non Iulia caſtra ſuperſunt:
Extremum metuit mœſta Vienna diem.
Pannonias nō eſſe uides tua mœnia? Turcus
His ruptis, in te Marte furente ruet.
Ardebunt uillæ: ſuccumbent oppida: ferro
Turba cadet diris excruciata modis.
Eripientur opes, libertas, iura: Libido
Victoris ſæui iura cruenta dabit. (tē
Corporis hæc mala ſunt, & in omnē poſterita
A' ſemel exorto fonte perennè ruunt.
Sæua quidē, ſed fine ſuo claudēda. Quid iſtud
Captiuas mentes quòd ferus hoſtis habet?
Dira ſalutifero dicit conuicia Chriſto:
Hunc etiam pubes neſcia ſæpè negat.
Sæpè ſenex & anus melioris mentis egentes,
Proh ſcelus, hoc ſpreto, te Mahomete, colūt.
Vulgus iners q̄d enim niſi quæ p̄ſentia, curat?
Arbitrio domini ſe putat eſſe pium.
Non ſpectas cœlos, niſi cū mors atra feneſtras
Intrat: & in fouea ſus lutulente iaces.
Hæc tu non cernis? non curas plūbea? nūmis
Dum parcis, uitam prodis iniqua tuam?

Indul-

Indulges odijs in fratrem: negligis hostem:
Quo nil terra magis, nil mare, triste tulit.
Num tibi relligio curæ? quis credere possit?
Quæ rixas nulla relligione moues.
Colatrix culicis, gibbosi terga cameli
Deglutis: rectum quod libet, esse putas.
Omnia præceptis facimus contraria Christi:
Ignorant Christum pectora, lingua sonat.
Sed non ignorat nostra impia pectora Chri-
Ille dari toties non sibi uerba sinet. (stus:
Quid dicam uates infelix? talia Musæ
Carmina nō dictant, fata sed atra cient.
Imperij nam cum perituri terminus instat:
Approperantq́ truci fata seuera gradu:
Immeritas ne fortè putes excindere gentes,
Ardua uel frustrà uertere regna Iouem.
Non Deus exitijs, non diro fulmine gaudet:
Incolumes potius quoslibet esse cupit.
Nanq́ bonos firmo semper munimine cingit:
Et uetat hostili clade perire pios.
At ubi negligitur pietas, calcatur honestū:
Crimine, cum uitium suppliciōq́ caret:
Tum Deus infesto disturbat perdita uultu
Regna, nec hæc patitur stare superba diu:
Illa sed ex imo quatiens fundamine terræ:
Fulminea incendit præcipitatq́ manu.

Integra staret adhuc (heu iam palus atra) Gomorrha:
Ni foret incestis mersa libidinibus.
Staret adhuc Constantini pia regia: tantas
Ni regnum discors dilaceràsset opes.
Et tu stare queas Germania: cura salutis
Si tibi tanta foret, quanta pericla uides.
Si tibi priuatis potior sit publica rebus
Cura. simul pereũt quos uehit una ratis:
Seruanturq́; simul, qui commoda publica spectant.
Publica priuatis qui sapit, anteferet;
At si desipies Germania. Plura uolentem,
Destituit calamus, scribere: lingua, loqui.

IN ELEGIAM
Solonis.

ISta Solon Græcis cecinit præsagia uates:
Dicta putes eadem Teutona terra tibi.
Consimiles pariunt æqualia crimina pœnas:
Est leue discrimen temporis atq; loci.
Actores aliàs alios proscenia cernunt
Semper at est eadem fabula, quicquid agas

ELE-

ELEGIA SOLONIS, EX oratione Demosthenis de falsa legatione.

Nostra quidem, fato Iouis, urbs non occidet unquam.
Propicijsq́ dijs salua manere potest.
Nã Ioue nata, ferox hastaq́ atq; ægide Pallas,
Hanc teget, hostiles disijcietq́ minas.
Mœnia sed ciues stolidi, cupidiq́ lucrorum
Ardua, subuerti per sua facta student:
Atq; ducũ populi mala mens, elataq́ corda,
Accersunt pœnas & mala multa sibi.
Nõ etenim placida didicerũt munere diuûm
Mente frui: saturi nec tenuere modum.
Despoliant ærarium, & ipsa altaria diuûm,
Per fas atq; nefas quò cumulentur opes.
Furantur, rapiunt oẽs datur unde, nec iram
Iusticiæ curant, scitaq́ sancta Deæ.
Illa tacet ueterũ memor, & præsentia cernẽs,
Sæua sed ad pœnas post ruitura graues.
Vrbibus hinc hulcus uenit immedicabile cũ-
Vt iuga seruitij mox odiosa ferant. (ctis,
Seditióue oritur, sopitáue bella mouentur,
Bella quibus pubes læta perire solet:
Vrbs etenim quæ nulla tenet socialia iura,
Est subitò hostili disperitura manu.

De causis R publicas tu euertentib tum cõseru tibus.

Calamitat ultrò sibi h mines tem tate & imp bitate sua a cersere.

Hac

Hæc agitant populum mala: sed paupercula turba
Venditur, & peregrè uincula dura gerit.
Nec sunt exptes cladis quos ampla beat res:
Et sua diuitibus pœna luenda uenit.
Publica sic intrant priuatos damna penates:
Excludi foribus nec mala tanta queunt.
Transiliunt muros altos: fuga nulla tuetur,
Siue petas thalamum, siue sub antra ruas.
His ego Palladios monitis pius instruo ciues,
Vt sapiant, uigilent, nil petulanter agant.
Inuehit heu quantas legum uiolatio clades?
At iustæ leges commoda quanta ferunt?
Compedibus stringũt sceleratos, ordinis æqui
Conseruatrices, nil nisi recta sinunt.
Aspera complanant, sedant fastidia, frenãt
Indomitos, abigunt semina quæq; mali.
Iura regunt, mansuefaciũt turgentia corda:
Compescunt miseræ seditionis opus.
Iurgia litis acerba premunt, ac deniq; uitam
Humanam erudiunt, ut sapienter eat.

εὐνομία καὶ ἀνομία, i. Legũ bonarum obseruatio & uiolatio.

IAMBI SOPHOCLIS DE tuenda patria, ex Antigona.

PErnosse mentem nullius queas uiri,
Tacitos' ue sensus pectoris deprendere,

Diu

Diu antequam uersetur in Republica:
Nam quisquis urbi, cuius imperium gerit
Metu subactus ora degeneri tenens,
Mutamq́ linguã: haud consulit salubriter.
Culpandus est & hoc & omni tempore.
Itemq́ amicum patriæ qui prætulit,
Habetor improbus uir, & ciuis malus.
Sed ipse (magnus idq́ Iupiter sciat,
Qui cuncta uigili semper lumine aspicit)
Minimè tacebo, si quid ingruat mali
Vrbi, uel uitæ cum periculo meæ,
Nec urbis huius hostis impius, mihi
Amicus esto. Nam considero satis
Portum salutis patriam esse ciuibus:
Cui dum uentus prosper aspirauerit,
Ex illa amicos nobis eligi decet.

EPILOGVS.

Hoc uetus est, ridere boni monitoris amorem:
Dictáq́ stulticiæ ponere cuncta loco.
Hoc etiam uetus est, ut qui præsagia rident,
Atroces pœnas corde gemente luant.

FINIS.